

~~27835~~

DISSERTATIO MEDICA
THEORETICO-PRACTICA
DE
MELANCHOLIA UNIVERSALI
ET HYPOCHONDRIACA.

QUAM
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO
PRAESIDE
IOANNE OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. Philosophiae & Medicinae Doctore, Medicinae,
Institutionum Medicarum & Praxeos Professore
ordinario

Publice defendet

STEPHANUS MATYUS,
HUNGARUS TRANSYLVANO-SICULUS
E SEDE MARUS, Library Cluj
AUCTOR.

ad diem xii Maji, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM
Ex Officina JOANNIS BROED'ELI
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI, MDCCLVI.

X

DISSERTATIO MEDICA
THEORETICO-PRACTICA
DE
MELANCHOLIA UNIVERSALI
ET HYPOCHONDRIACA

AVVSOR DEO OPTIMO MAXIMO
DICARUM ET PRAELECTISSIMORUM
IOHANNES OOSTERDYN SCHNACHT
A. L. M. Philosophiae et Medicinae Doctor, Medicus
Laureatus in Medicinis et Praeceptor Praeceptor

DE PRAELECTISSIMO
ORDINARIO
D. PRAELECTISSIMO

STETHANUS MATYUS
HUNGARUS TRANSILVANO-SIGETUS

BCU Cluj / Central University Library Cluj

D. JACOBO GIBLATOR
MEDICINA



TRANSPECT AD RHENOM
EX OFFICINA IOHANNIS BRODELET
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MEDICINAE

VIRIS
EXCELLENTISSIMIS ATQUE EXPERIEN-
TISSIMIS

D. JOANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOC-
TORI, MEDICINAE, INSTITUTIONUM ME-
DICARUM ET PRAXEOS PROFESSORI. P. O.
HUJUS DISPUTATIONIS PRAESIDI GRAVIS-
SIMO, EXOPTATISSIMO.

D. EVERAR. JAC. VAN WACHENDORFF,
MEDICINAE DOCTORI, MEDICINAE, BOTANI-
CES, ET CHEMIAE PROFESSORI. P. O.

D. JACOBO GISBERTO WOERTMAN,
MEDICINAE DOCTORI, MEDICINAE, ANATO-
MES ET CHIRURGIAE PROFESSORI P. O.

D. JOANNI DAVIDI HAHN;
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DO-
CTORI, PHILOSOPHIAE, PHYSICES EXPERI-
MENTALIS ET ASTRONOMIAE PROFESSORI.
P. O.

FLORENTISSIMAE HUIUS ACADEMIAE ULTRA-
JECTINAE LUMINIBUS ET COLUMINIBUS, PA-
TRONIS, FAUTORIBUS AC PRAECEPTORIBUS

SUIS OMNI QUAE PAR EST RELIGIONE ET
PIETATE IN AETERNUM COLENDIS,

NEC NON

CELEBERRIMO ATQUE ERUDITISSIMO

V I R O

D. S T E P H A N O I N T Z E
PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS PROFESSO-
RI. P. O. IN ILL. COLLEGIO REFORM. AGROPO-
LITANO TRANSYLVANORUM, NUPER PRAE-
CEPTORI SUO PLURIMUM COLLECTO, ET
SEMPER FAUTORI OPTIMO, AESTIMATIS-
SIMO.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

*Has Studiorum suorum pri-
mitias in publicum devin-
ctissimi & gratissimi Animae
Testimonium sacras facit*

AUCTOR ET DEFENDENS.

PROOEMIUM.

Dum undique imminentes & unicuique mortalium tantum non naturales Febrium causas circumspiceret *Ill. L. B. v. Swieten Comm. T. II. p. 2.* dicere non dubitavit: *Nullum sine Febre vivere hominem, imo & paucos absque ea mori.* Ex iisdem rationibus simile quid de *Melancholia* quoque afferi posse nemo paulo attentior ad hanc rem ibit inficias. Id profecto *Expertissimus Sydenhamus op. univ. p. 387.* clarissime fatetur. *Sicuti Febres cum appendicibus suis duas partes tertias, ad chronicos morbos simul sumtos si comparentur, complent: ita Affectus Hysterici, inquit, ad reliquae partis tertiae dimidium adsurgunt; hoc est chronicorum pars tertia sunt. Feminarum enim paucissimae ab horum affect. specie prorsus immunes sunt. Quinimo, non pauci viris, qui vitam degentes solitariam chartis solent impallescere, eodem morbo tentantur. Sed Affectiones mulierum hystericas, & iis conformes virorum hypochondriacas, tertiam solummodo. Melancholiae speciem absolvere infra docebitur. Mira ergo debet esse huius Morbi universalitas! Significat hoc & vulgi opinio. Quid enim crebrius audias, quam hunc aut illum melancholiae argui! Nec mirum. Dicit siquidem *Ill. v. Swieten l. c.* quod, *dum paucis contentus frugalem vitam ducit Philosophus, & pertinaci lucta animum regere didicit, plures quidem Febrium causas evitat.* At pessimae Melancholiae semina ab eo strenue tunc spargi, sollicitè foveri, mox & larga segete proferri, tristi experientia toties constitit. Haec dum animo volverem, nihil Philosopho magis dignum necessariumque credidi, quam ut is ante omnia animum suum medendi scientia instruat. Turpe enim est naturam rerum, mentis &*

P R O O E M I U M.

corporis adeo sollicitè indagare: arctissimam nobilissimorum horum entium unionem operose demonstrare; probeque simul nosse, nec mentem posse esse sanam nisi in corpore sano: attamen dum menti prodesse laboramus, corporis curam ita negligere, ut brevi utramque partem malo errore nos pessum dedisse sero doleamus. Noverat certe id sapiens Antiquitas, & ideo prudentiores quosque Philosophos summos etiam fuisse Medicos, inter cetera monumenta litteraria, ex ipsius *Celsi Praef. L. I. de Medic.* discimus: adeo ut, *Morborum curatio & Rerum naturalium contemplatio sub iisdem Auctoribus nata sit.*

His & aliis hic non memorandis rationibus inductus, dum scientias naturales penitus nosse cuperem, & ad delibandas simul Artis salutaris delicias animam adjicerem, operae pretium facturum me credidi, si intricatissimi & orbi Literato maxime infensi *Morbi Melancholici* naturam exactius cognoscere, vivisque tandem coloribus depingere possem. Hunc in finem, quae ex Celeberrimorum **MAGISTRORUM** sapientissimis oraculis, eruditissimisque probatissimorum Auctorum scriptis in dies collegi: binisque his solidissimis fundamentis, pro ingenii mei modulo, superstructis ratiociniis adsecutus sum, in sequentes pagellas transtuli, fretusque gratiosissimo Favore *Excell. longe longeque Celeberr. Professoris ac Praeceptoris mei aeternum colendi*, hujusque Disputatorii Actus *Praesidis Gravissimi D. D. JOH. OOSTERDYK SCHACHT*, tam sollemnis Exercitationis argumentum constituere non dubitavi.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
 THEORETICO-PRACTICA
 DE
 MELANCHOLIA UNIVERSALI
 ET HYPOCHONDRIACA.

§. I.

Linter maxime chronicos Morbos jam ab antiquis-
 simis temporibus Nomine & omine celebratis-
 simus Morbus MELANCHOLIA, dicta est, il-
 la Mentis alienatio sive delirium sine Febre &
 furore, dum aeger circa unum idemque obje-
 ctum anxie, diu, pertinaciter occupatur, sine
 manifesta causa continuo tristis & sibi metuens. Cave tamen
 existimes esse definitionem hanc omnibus numeris absolutam;
 talem enim ob ingentem numerum & miram varietatem in-
 tricatisissimorum Symptomatum, quibus hic Morbus pro va-
 ria ejus & Aegrorantium conditione stipari consuevit, hic
 in limine exhibere haud ita expediti operis esset. Quae tamen
 hic desiderantur ipsa uberior historica Morbi pertractatio in
 sequentibus suppeditabit. Praelusit huic definitioni jam ipsa
 Antiquitas, quippe Hippocr. Aph. 21. S. VI. sic ait: Si metus &
 tristitia longo tempore perseverent Melancholicum illud est. Suf-
 fragatur & Celsus L. II. de Med. c. 2. Si longa tristitia cum lon-
 go timore & vigilia est, atrae bilis morbus sub est. Nec discre-
 pant quae habet Aretaeus de sign. & Caus. Morb. L. I. c. 5. Est
 autem, inquit, Melancholia animi angor in una cogitatione de-
 fixus atque inhaerens absque Febre. Quod vero nullam faci-
 ant mentionem delirii citatis locis statim memorati Aucto-

DISSERTATIO MEDICA

res, haec videtur subesse ratio, quod illa *mentis alienatio* in initio Morbi adeo *levis* est, ut nisi in statu perfecte sano exactius noveris hominem, delirare nunc vix advertas. Accedit, quod vulgo tunc demum dicatur quis *delirare* dum *sultescit*: & apud plurimos Auctores *delirans Melancholia* fere pro *Maniae* aut *stultitiae* initio sumatur. Nos vero delirii nomen latiori sensu sumimus pro omni eo mentis statu, in quo, ob internam aliquam sensorii communis mutationem, lege imaginationis fingendo sibi ideas, persuasa est mens, res extra se positas & earum nexus, suis conceptibus omnino conformes esse, licet toto coelo aliter se habeant: & talibus ideis accommodando suas cogitationes, sermones, actiones a communi hominum & sensu & ratione recte utentium consensu plus minus abludit. Agnoverunt talem mentis statum in Melancholia etiam veteres, sic enim legitur in *Libell. de Melanch. ex Galen. cap. i.* *Plerumque vero partes hypochondriorum primario affectae (ab atro & exassato sanguine) capiunt ad consensum perducunt, & delirium efficiunt.*

§. II. *Nomen* Morbo jam antiquitus impositum est *απο της μελαινης χολης* a *bile atra*. Quia nimirum observabant, hoc mali genere vexatos frequentissime sursum & deorsum multum nigrae viscidae materiae rejicere: quam, ob acrimoniam in ea deprehensam *atram bilem* appellabant. Censebant siquidem omnia corpora ex quatuor illis decantatis Elementis Igne, Aëre, Aqua, Terra certa proportione inter se temperatis ita esse composita, ut ex hujus vel illius Elementi prae reliquis abundantia diversa corporum natura exurgeret: quod in nostris humoribus *Temperamentum* vocabant. Cum ergo varii generis & naturae corpora pro alimentis adsumenda essent, id quod ex hoc vel isto Elemento Temperamentum nostrorum humorum non requireret, per varia viscera fecerni a reliqua massa sanguinea, ne suo excessu corpus laederet. Sic, postquam (ut opinabantur) chylus ex intestinis per ramusculos Venae portarum absorptus ad Hepar delatus est, ibidem in sanguinem percoquitur, & materia quaedam superflua in spumam rejecta, a vesica biliaria adtrahitur,

hitur, & *Bilis flavæ* materiem constituit: terrea vero, seu subfidens ponderosa faex per ramum venae portarum lienarem ad lienem, tanquam hujus amurcae cloacam ablegatur, & ibi *Bilis atra* dicitur. Quæ saburra, ne tandem in nimiam molem incresceret, identidem, ignota ipsis via, in ventriculum & intestina delata, sursum vel deorsum expellebatur. Id si non fieret, brevi distento liene, hypochondrium sinistrum intumesceret; materies illa corrumperetur; & vapores noxios ad cerebrum mittendo, mentem in suis functionibus mire turbaret: & sic oriretur *Morbus Melancholia*.

Sed postquam felicissimo litterato orbi præterito seculo, anno nimirum 1622 veram chyli viam per vasa lactea detexit *Asellius*, & eandem anno 1641 per ductum chyliferum ad venam subclaviam sinistram perduxit *Pecquetus*, simulque anno 1628. admirabilem sanguinis per arterias & venas circulationem mortalibus demonstravit *Harveius*; his, multo meliora novimus. Quid revera de hac *atra bile* & genuina Morbi natura & origine sentiendum sit, in sequentibus paulo curiosius inquiremus. Nunc ad Mali hujus ab aliis Morbis & a se ipso differentiam declarandam progredimur.

§. III. Differt a *Delirio febrili* & *Phrenitide* *Delirium* hoc *melancholicum*. Etenim, delirat quidem in febre & Phrenitide Aeger, sed circa varia quovis fere momento objecta: nec delirat *diu*; quia judicatis illis Morbis, quod in longum haud differtur, cessat & *delirium*; nec *pertinaciter*, quia si delirantem ex Febre moneas, se delirasse, ut plurimum agnoscet: non ita Melancholicus. Sed quod magis incurrit, *ibi* ad est febris, *hic* nihil ejus cernitur. Differt & a *Mania*, quia Maniacus furit; Melancholicus nemini nocet. Nec convenit cum *stultitia*; quia stultus in omnibus delirat; Melancholicus in reliquis satis sapit; sed in certa re semper aberrat.

§. IV. Neque minus sollicite distinguenda venit ipsa quoque *Melancholia* in suas *species*. Celeberrimorum enim Auctorum scripta de Affectione Melancholica aut Hypochondriaca legenti occurrent quam plurima invicem adversa fronte pugnantia, quæ secus haud facile conciliabit. ex. gr.

Cel. Sydenhamus univ. op. p. 395. sic hunc Morbum conc.

pit. Quemadmodum *homo* quidam *exterior* conspicitur ex partibus sensui obviis compaginatus, ita proculdubio (inquit) & *interior* est quidam *homo* ex debita spirituum serie & quasi fabrica constans solo rationis lumine contemplandus. Qui, cum temperie corporis intimius conjunctus & quasi unitus, tanto aegrius faciliusve de statu suo dejicitur, quanto major est minorve quam a natura sortitur Principiorum constituentium firmitas. Si jam dictorum spirituum *κρᾶσις* debilior fuerit, sive nativa sive adventitia illa fiat, quavis *προφασει* dissipatu faciles erunt, & eorundem systema nullo negotio turbabitur. Tali formata idea, addit: Pendent ergo *Affectiones* istae, quas in Feminis *Hystericas* in Maribus *Hypochondriacas* insignire liber, quantum ego judico, a spirituum animalium *ἀταξία*. Unde facto impetu in hanc vel illam partem, plus quam pro rato densi nimique feruntur, spasmos, uti & dolorem excitantes ubi in partes sensu exquisitas inruunt, atque organorum, tum ejus in quod se ingerunt, tum istius a quo abscedunt functiones pervertentes; cum utrumque ab hac tam iniqua partitione, quae naturae oeconomiae penitus adversatur, haud parum detrimenti capiat.

Excell. F. Hoffmannus Syst. Med. Rat. T. IV. P. III. S. I. c. V. §. 5. 6. Morbum Hystericum Mulierum ab Affectione Hypochondriaca virorum ob rationes & per signa ibidem exhibita omnino distinguendum esse vult. Et quanquam originem Mali ex semine corrupto & cruore Menstruo in utero ejusque membranosa & vasculosa substantia, vasisque ad illum spectantibus, imprimis spermaticis, vitiato, &, partim sua acrimonia per consensum nervorum, partim emissis vaporibus purissimo nervorum & fibrarum fluido insensissimis, primo vicinas membranas spasmodice contrahentibus, mox & nervorum ossis sacri & lumborum ramos, per consequens, totam medullam spinalem occupantibus, sic ve turbas in toto corpore excitantibus, derivat: iisdem tamen plane & in universum symptomatibus depingit suum *Malum Hystericum*, quibus Sydenhamus suum nunc *Hystericum* nunc *Hypochondriacum* nominatum. *Affectionis* autem *Hypochondriacae* aliam dat ideam. l. c. cap. vi. §. 10. collocat enim genuinam ejus essen-

essentiam, in motus peristaltici, quo ventriculus & intestina gaudent, praeter naturali constitutione, & quidem tali, ut ille partim ac in uno loco destructus atque dejectus, partim in alio & intensior atque passim inversus, id est, ab inferioribus versus superiora tendens, existit. Hanc vero conditionem ex acidis viscidisque cruditatibus derivat; quae, laesa chylicatione, & sordium excrementitiarum excretionem impedita, remanent in canali intestinorum, atque praesertim plicis & flexuris eorundem sese insinuant; & ibi non tantum flatus generant copiosos, sed brevi acrimoniam contrahentes, nerveam intestinorum tunicam vellicando, eam ad spasmodicas strictureas proritant; & sic, partim nervosum systema cum his delicatis partibus multum consentiens conturbando, partim debitam humorum circulationem per has partes & quae hinc pendent, destruendo, & functiones viscerum a debito humorum circulo dependentes, sic ve totum chylicationis negotium, per consequens, omnes nostri corporis humores, depravando, varia & mira plane producant symptomata. Vocat has *Affectiones spasmodico-flatulentas seu Hypochondriacas*.

Magnus Boerhaavius suos conceptus hac in materia *Aph. de cur. & cogn. Morb.* §. 1090. vicissim aliter digerit. Deducit enim hujus Morbi symptomata, si in corpore origo haereat, ab illa sanguinis & humorum malignitate, quam *atram bilem* dixere veteres: si in Mente, ab illis Mentis affectionibus, quae brevi in corpore bene sano atram bilem faciunt. Quid per *bilem atram* intelligat dicit §. 1092. Si in toto corpore mobiliora dissipata reliquerint immobiliora unita, tum ille erit crassus, ater, pinguis, terrestris. Ei vero nomen dabitur *Humoris atrabilarii vel succi Melancholici*. Et §. 1098 addit: si autem illa ipsa materies magis densa, tenax reddita est, necessario in vasa Hypochondriaca depelletur; id enim natura hujus humoris, situs & conditio horum vasorum, & leges hydraulicae docent. Inde sensim haerebit, accumulabitur, stagnabit: tum vocatur *Morbis Hypochondriacus*, Lienem, ventriculum, Pancreas, Mesenterium obsidens.

Vides hic apud hos Triumviros sub eodem *Hypochondriaci*
malis

mali nomine res plane diversas. Magna Nomina! Hic Ba-
tavorum, Ille Germanorum, Iste Anglorum Medicorum fa-
cile Principes. Quis ergo arbitrum se interponere ausit! An
Huic? An Illi? An Isti causam adjudicabis? Id si feceris, te-
merarius forte habebis. Trium sententia si rem ipsam
consideres & ex aequo distinguas vera est. Certum praete-
rea est, in tribus his morbis insigniter affici Hypochondria.
Erat ergo quare & Hic, & Ille, & Iste suum Morbum ita
appellare voluerit. An tamen omnium aequae fontica causa
est? Equidem vehementer dubito. Profecto uterus & ei in-
servientia vasa etsi fixam mali sedem non constituent, pote-
runt tamen talia symptomata muliebri morbo addere, quae
in viris frustra quaeras. Imo vero, usque adeo implicatur in
hunc morbum uterus, ut ipsae diro hoc malo afflictæ Mu-
lieres, & fere omnis per plurima retro secula Medicorum
cohors uterum unice heic accusaverint. Unde & Hystericæ
Mali nomine insignitus est. Vix ergo sine confusione, ne
dicam aliquo errore fieri posset, si Morbum Hystericum Mu-
lierum cum Affectione Hypochondriaca virorum eundem omnino
diceres. Rectius fortassis symptomata in solis feminis obvia
Hystericum, utrique sexui communia vero, sive in nobiliori,
sive in sequiori sexu deprehendas, Malum Hypochondriacum
nominabis, si vero, utriusque Morbi symptomata complica-
ta in Feminis videas, tum Malum Hystericum-Hypochondriacum
vel Melancholiam Hystericam vocabis.

Neque *Excell. Hofmanni* idea, etsi in se vera, videtur to-
 tam rem denominandam complecti. Ponit enim sui Mali
 essentiam in flatulentis, & inordinatis ventriculi & intesti-
 norum spasmis, ab acidis sordibus in iis delirescentibus, natis.
 Ea autem, esse quidem ex præcipuis Morbi symptomatibus,
 minime vero totius Mali essentiam constituere, in sequenti-
 bus apparebit.

Sed neque *Magn. Boerhaavii* videtur Hoffmanniani hu-
 jus Hypochondriaci mali multam habuisse rationem. An ergo
 Duumvirorum ideae combinandae? ut *illud Hypochondriacum*
flatulentum sive spurium, hoc autem Hypochondriacum sangui-
neum

DE MELANCHOLIA!

neum sive *verum* aut *atrabiliarium Malum*, vel si *maius*, *Scorbuticum* nominetur. Monente enim *Etmullero*, eminentior hujus gradus *Scorbutus* est.

Verum, quum in omnibus a se descriptis *Hypochondriaci* Morbi speciebus agnoscant *Cel. hi Auctores* aliquam *Mentis alienationem* sine *Febre & furore*; & quod aeger diu, anxie, pertinaciter circa unius objecti considerationem occupetur, denique quod sine ulla manifesta causa tristis ut plurimum & sibi metuens vivat (*vid. Sydenham. op. p. 393. Hoffm. S. M. R. Tom. IV. P. III. S. I. c. VI. §. III. Boerb. Aph. de cur. & Cogn. Morb. §. 1089. & 1094.*) sub iisdem vero phanomenis, ut §. 1. vidimus, veteres *Melancholicum Morbum* descripserunt: multo consultius visum est. *Cel. Prof. D. JOHANNI OOSTERDYK SCHACHT. Inst. Med. Pract. S. II. L. I. c. IV.* Tres illas *Hypochondriaci Mali* species sub uno *Melancholiae* nomine comprehendere: & ipsam *Melancholiam*, in *Melancholiam sine materie* sive *nervosam*, vel si magis placet, *Hystericam*, & *Melancholiam cum materie* distinguere; quia in illa nulla humorum depravatio apparet, sed *spiritus animales*, aut *sensorium commune*, aut *systema nervosum* male se habent, in hac vero atra viscida *cacochymia* infectus observatur e vena missus sanguis. Porro: *Melancholiam* cum materie iterum in *Universalem & Particularem* subdivisit, & hanc *Hypochondriacam*, illam *Atrabiliariam* simpliciter nominavit.

Quoniam vero *Humor atrabiliaris* nunc ad *acrimoniam acidam*, cujus levior gradus est *Hypochondria flatulenta Hoffm.* nunc ad *corruptionem alcalicam* disposita est (*Conf. Ill. v. Zwitter, Comm. T. III. p. 590.*) hac quoque acrimoniae species, utpote ad *Prognosin & Curationem Mali* cognitu summe necessariae, per specifica cuique symptomata & *Causas*, in recensione *Historiae Morbi*, quantum pote, distingui merebuntur. Equidem *Galenus Meth. Med. L. XIV. c. 9.* videtur credidisse omnem fere *bilem atram* esse *acidam*: sed revera *Causae*, *signa*, & *cumprimis jvantia & nocentia* satis evincunt, frequentissime adesse in ea *corruptionem alcalicam*.

§. V. Quod ergo ad *Historiam Melancholiae* attinet: Quum

in *Melancholiae nervosae*, sive *Mali Hysterici* pertractatione tanta cum diligentia & accuratione versati fuerint *Cel. Sydenh. in Diss. Epist. ad G. Cole Univ. op. p. 387. & seq. Cel. Hoffm. Syst. Med. Rat. T. IV. P. III. S. I. c. v.* ut orium aliis penitus fecisse videantur, hanc speciem sicco pede transibimus: & qualemcunque nostram operam considerationi *Melancholiae cum materia* impendemus. Cujus praecipua phaenomena ex observationibus perspicacissimorum in *Arte Viro-*rum sic se habent.

I. Si *Humor Melancholicus* peccet simul ab acido his praesertim se prodit indicia. 1. Sentiuntur graves ventriculi & intestinorum tensiones & expansiones flatulentae, imprimis in ipso intestino coeco & hypochondriis ubi majores flexus facit intestinum colon. 2. Adest nausea, ciborum fastidium, interdum tamen appetitus vehementer excitatur, sed mox iterum extinguitur. 3. Vexat ardor & dolor ventriculi pressorius: imo haud raro dira plane cardialgia excruciat. 4. Gula spasmodice identidem constringitur ac si strangularentur fauces. 5. Ruscus eduntur acidi dentes saepe stupefacientes. 6. Frequens urget vomendi conatus, ut plurimum tamen irritus. 7. Ingens copia mucii limpidi continuo rejicitur, ut ideo *sputatores* dicantur *Hypochondriaci*. 8. Dolores, torsiones, murmura, borborygmi fere continui imprimis in regione umbilicali, aliquot horis post pastum magis insurgentes: saepe etiam incarcerati per spasmos flatus graviora inducunt tormina crassorum intestinorum. 9. Alvus, ut plurimum, est pertinacissime adstricta: quae, Morbo proveciori existente, nonnunquam in diarrhaeam atrabiliariam solvitur, cum notabili mitigatione plurium symptomatum. 10. Mictio in quibusdam est difficilis & dolorifica. Urina est copiosa, tenuis, aquea, interdum sedimento albo arenario & pills quasi innatantibus referta. 11. Nimia urget salacitas, crebraeque molestant nocturnae pollutiones. 12. Copiosis, praesertim noctu, diffluit corpus inodori sudoribus: & caput phlogosibus identidem perfunditur. 13. Color cutis est pallidus. 13. Hemicrania & alii dolores tensorii, pungitivi, &

& nonnunquam vertici quasi infixi caput obsident. 14. Ad-
sunt & vertigo; aurium tinnitus; gravior auditus: oculi do-
lent cum siccitate & tristi scotomia identidem obnubilantur.
15. Somnus est turbulentus, terriculamentis plenus: funera
denatorum & amicorum imagines in somniis repraesentan-
tur. 16. Affectus animi sunt vehementiores & inordinati,
nulla vel levisima de causa incitantur ad iram, post quam
semper pejus se habent, ad luctum, diffidentiam, zeloty-
piam, desperationem &c. Nunc sine ulla fere causa amant
tenerrime, mox eisdem internecino prosequuntur odio. 17.
Memoria est debilis: iudicium magis acre quam firmum. 18.
Haec omnia symptomata tempore frigido & ventoso, hinc
Hieme & Autumno magis saeviunt, in aestivo autem fervo-
re multo vegetiores deprehenduntur hac acida specie Melan-
choliae affecti.

II. Si vero dicta *saburra* ad *alcali* vergat, his fere signis
manifestatur. 1. Appetitus continuo prostratus jacet; & ad-
est horror adversus omnia nisi aquosa vel acidula fuerint. 2. Os
est sordidum & grave olens. 3. Ructus nidorosi & quasi pis-
cem olentes. 4. Repletionis & nescio cuius inquietudinis
sensatio in universo corpore. 5. Cutis atro-pallida, sicca,
aspera. 6. Sensus externi tardiores, sed imprimis tactus stu-
pidus. 7. Adest calor ad sensum aegri internus, superficie
corporis ad tactum frigida existente. 8. Vigiliae perseverant
contumaces. 9. Facies est meditabunda, morosa, constans,
gravis. Hic incomparabilem sapientiam, ille singularem pie-
tatem &c. prae se fert. 10. Meditatio profunda uni rei inhæ-
rens. Despiciit inventa; abdita meditatur, & arcana Natu-
rae vel Religionis, si diis placet, nititur referare. Hinc fa-
ctum est, ut ad Artes excolendas plurimum semper contu-
lerint hoc Mali genere levius affecti: adeo ut *Plinius Mor-
bum sapientiae* vocandam censuerit Melancholiam: & *Aristo-
teles* optimum quemque & sapientem Artificem dixerit esse
Melancholicum.

III. In utraque Melancholiae specie simul adsunt. 1. Tor-
por, lassitudo, debilitas, toedium, tristitia, si scilicet domi
mancant, in conversationibus enim se jocularis ostendere co-
nantur,

nantur, & risus saepe edunt inconditos. 2. Sedendi, solitarie morandi studium; Taciturnitas. 3. Respiratio dum quiescunt, lenta, profundis suspiriis saepius intercalata; horis vero pomeridianis, aut corpore modice commoto difficilis, anhelosa. 4. Anxietas & aestus obsidet praecordia. 5. Pulsus est parvus, tardus, lentus. 6. Protuberant haud raro in varices vasa haemorrhoidalia, quae, si casu rumpantur, insigne adrunt anxietatis multorumque aliorum symptomatum levamen, interdum tamen periculosa haemorrhagia corpus exhauriunt. 7. Incipiunt tandem frequenter & ipsa hypochondria tensione & pondere magis quam dolore molesto tumore elevari. Nunc omnia praerecensita symptomata brevi ingravescunt: & Morbus qui ante Melancholia universalis audiebat, mali causa in toto corpore diffusa existente, *Melancholiae hypochondriacae*, *Mali hypochondriaci*, vel vulgo simpliciter *Hypochondriacae* nomen adsumet. Quia nimirum sub costis inferioribus, ut vocant, spuris, quarum maxima pars cartilaginea est, in utroque latere, & ad epigastrium ubi est cartilago mucronata, videtur Morbi causa resedisse. *Ἰνὸ* autem *sub χορδῆ* *cartilagineam* Graecis significat, quasi dicas *Morbus sub cartilagibus*. 8. Accedit his, sensim facta corporis emaciatione cum atro cutis colore, & quae sunt reliqua fere innumerable symptomata. Ut enim ait *Cel. Hoffm.* quot adoriuntur hae affectiones individua, tot pene diversas ludunt tragoedias. Maxime etiam proprium est his hominibus, ut Melancholiam, cui toti immersti haerent in se ipsis non agnoscant, & alios morbos quibus immunes vivunt, sibi affricent: Medicos & omnem Medicinam avertentur.

Sed & mentis functiones magis adhuc turbabuntur. Peritis memoriae, ratio labascit, vanas & ridiculas imagines adsumit sibi mens & perversas ludit phantasias. Memorat. *III. L. B. v. Swieten Comm. T. III. p. 460. ex Tralliano*, Mulierem quae medium manus digitum semper erectum tenebat, credens se eo totum sustinere orbem, & metuens anxie, ne si eum inflecteret totus mundus corrueret. Alii se totos butyraceos, vitreos, cereos, &c. esse imaginabantur.

Alii

Alii Reges, Principes &c. se ipsos putabant, & in summa felicitate versari firmissime persuadebant: usque adeo, ut Melancholicus ille *Horatii L. II. Epist.* dum ad saniozem redactus fuisset mentem

—— ——— *Pol! me occidistis Amici*
Non sanastis ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Sed plena sunt hujusmodi exemplis omnia! Non subsistit adhuc heic vis mali, sed & omnia § xxx. declaranda pessima symptomata tandem superveniunt.

§. VI. Nemo Morbum plenarie intelligit nisi causam prius cognoverit. Sed internam & proximam mali causam, quae posita Morbus ponitur, sublata tollitur, in plurimis, is demum reapse detegere valet, cui in antecessum remotiores causae innotuerunt. Id profecto si ullibi in nostra Melancholia verum est. Et quidem, uti experientia teste novimus, proxima ejus causa, *succus nimirum atrabilarius* infra §. xv. pluribus exponendus, pro diversa sua specie diversas, quoniam contrarias ejusmodi remotiores causas agnoscit. 1. Si quidem *Melancholiae flatulentae* sive *atrabiliariae cum cruditate acida* obnoxii vivunt imprimis. 1. Qui habitum corporis spongiosum, laxum & vasa exilia obtinuerunt. Quo facit, 2. etiam haereditaria dispositio. Pater melancholicus, aut Mater tempore gestationis hysterica, melancholicos procreant Liberos. Singularem denique efficaciam hic exerit Remedium non naturalium minus conveniens applicatio. Puta: 3. *Aër* frigidus, humidus, stagnans, male sanis exhalationibus infectus. 4. *Cibi* crudiores, acidi, flatulenti; legumina; fructus horaei austeri, immaturi, nimia copia ingurgitati; lacticia; acetaria; panificia minus rite fermentata aut calide ingesta; & qualescunque una vice nimium ingurgitati vel non bene masticati. 5. *Potus* acidi, spirituosus, ex cerealibus parati fermentati vel minus recte defecati; calidorum aquosorum Theae, Coffe &c. abusus. 6. *Nimius somnus* vel valde *protractae vigiliae*. 7. *Exercitatio Corporis* aeque plus inter-

missa: hinc vita sedentaria & solitaria: maxime si interea *Animus* severis uni rei infixis meditationibus, aut mordacibus curis defatigetur. 8. *Evacuaciones humorum* salivae, sudoris, feminis, sanguinis, nimiae: vel *consuetarum evacuationum*, ut, haemorrhoidum, catameniorum, lochiorum, &c *suppressiones*, & V. S. usitatae in plethoricis neglectio. 9. *Affectus animi* inordinati: nimia hilaritas; amor; ira immodica, maxime alto sub pectore diutius pressa; metus; tristitia; invidia; ambitio. 10. Morbi alii praegressi corpus nimium debilitantes, ut sunt: Febres, Epilepsia, Malum Hystericum &c. imprimis, si in ejusmodi morbis Medicamenta, repente nimium adstringentia, aut tonum vasorum magis adhuc dejicientia imprudenter applicentur.

II. Ad *Melancholiam* vero cum *cacoehymia alcalina* concurrunt praecipue. 1. Temperies macilenta, stricta, pilis duris, nigris praedita. Inde haec species in viris multo frequentior ac in Feminis: praefertim, 2. si vivant, in *Aëre sicco, calido*. 3. *Cibus* utantur terrestribus, carnibus & piscibus sale, sole, fumo induratis: pinguibus, oleosis, aliisque calefcentibus: aut, 4. Si famem diutius tolerare cogantur. 5. *Potus* parco nimis, spirituoso, vel crasso oleo scatente, qualia sunt quaedam *Vina*. Interim, 6. Corporis exercitia vel plane negligant, severis meditationibus & curis vires ejus exhaurientes vel. 7. eousque intendant, ut nimia perspiratione aut largis sudoribus liquidior humorum pars e sanguine diffletur. Quae etiam faciunt, 8. Febres calidae aut & aliae sudoriferis importune saepius tentatae.

III. Utraque mali species infensa est imprimis *aetati Conspicenti & mediae*, ab anno nimirum aetatis xxv. ad Lx. ab inde enim observante *Cel. Hoffm.* rarius in hanc incidunt homines; vel si jam inciderunt, nisi vis mali eos perimat, abit in *Artuum dolores; Calculos renum; Cachexiam; scorbutum; Hecticam, & alia*. Ratio hujus rei inde videtur esse repetenda, quia rerum agendarum curae aetatem mediam maxime exagitant: cum aetas puerilis ludicris, juvenilis jocos & vanitatibus, senecta vero tot rerum vicissitudinibus jam cau-

ta,

ta, tranquillo otio, ut plurimum, transigitur. *Nec adultioribus ante virilem aetatem Melancholia contingere solet*, inquit, *Ill. v. Swieten Comm. T. III. p. 536. nisi ex ingenti amore & Libris inpallescendo hunc Morbum contraxerint.*

Haec erant praecipua quae in Historia Melancholiae recensuisse operae pretium duximus. Instituti nostri ratio jam postulat, ut per singulas hoc Spho notatas remotiores hujus mali causas eundo, Principiis sanioris Physiologiae convenienter vires & effecta earum indagemus: quo sic, computatis tandem his effectibus, de vera proxima sive interna Melancholiae causa, causaeque illius natura, paulo solidius concludere valeamus.

§. VII. Quandoquidem ceteris procatactis Melancholiae causis fundamentum sternit ipsa hominis *Temperies*, quid illa sit, & quid ad Melancholicum humorem generandum conferat, e re nostra erit statim hic in initio brevibus cognoscere. Pulcherrima illa haud ita pridem excogitata *Ars* ut vocant *injectionaria*, & captis per eam experimentis superstructa Eruditorum ratiocinia docuerunt totum nostrum corpus esse vasculosum, id est, ex varii generis canalibus certa liquidam in se vehentibus ita esse conflatum, ut nulla pars assignari queat, cujus cum reliquis connexio mediata vel immediata demonstrari nequeat; adeo ut, ex uno eodemque vase miris modis subdiviso, convoluto, complicato, ad se variis in locis redeunte &c. constet tota ejus fabrica. Majorum vasorum parietes textae sunt ex minoribus vasis, harum parietes iterum ex minoribus, & ita porro, quoad deveniatur ad ultima: quorum parietes proculdubio ex fibrillis solidis, ut pote solidorum punctorum, seu ultimorum corporis elementorum serie conflatis, emergant. Si jam illa puncta, illae fibrae, illa vasa minora ex quibus majorum parietes continuo fabrefiunt, a quacunque causa laxius cohaereant, aut parietes vasorum fuerint exiliores, vel ipsum corpus ex his laxius complicitur, tum illud corpus dicitur *Habitus* sive *Temperiem laxam spongiosam obtinuisse*. Si vero firma fiat omnium horum inter se cohaesio, tum *Temperies macilenta, stricta,*
vasa

vafa vero fortia & robusta vocabuntur. Ad haec: ubique in toto corpore inter texturas dictarum fibrarum & vasorum sapiens Natura densissimas locavit cellulas, ut subtili suo, quod continent oleo illa omnia inter se conglutinent, flexilia fervarent, & qui sunt alii usus. Quod oleum, si nimis fuerit aquosum, crudum, copiosum, corpus reddet laxum, debile: e contrario, si debite fuerit attenuatum & temperatum, corpus firmissime compaginabit & robustum reddet. Unde iterum variat *Temperies*.

Taliter constitutorum solidorum diversam debere esse etiam actionem in contenta fluida patet evidenter. Omnes siquidem nostri corporis humores a crassissimo chylo ad subtilissimum usque fluidum nerveum, ex adsumtis sola vasorum concussione & tumultuario particularum ad se invicem attritu occasione motus circulatorii in vasis elasticis, curvis, recurvis, conicis ingenti cum celeritate peractae, praeparari ex Physiologicis novimus. Ex calculo *Ill. Halleri Pr. I. Physiol. §. 69.* eadem portio sanguinis unius horulae spatio percurrat in suo canali 149. pedes 48000 vicibus. Omnis autem hic mirabilis impetus pendet a robore & elasticitate cordis & vasorum. Sanguis enim a corde intra horulam ad minimum 4000 vicibus systolen passo, vi valida nondum tamen certo definita, pulsus in arterias, ab iis fortiter comprimitur: & cum valvulae ad cordis orificia stantes in cordis cava refluere non sinant, versus earum extrema velociter propellitur, redit per Venas ad Cor, & ita porro. Sic e chylo post 20 circiter ab adsumptione alimentorum horas, notante *Ill. v. Swietenio Comm. T. I. p. 116.* incipit fieri ruber sanguis, cujus rubentes globuli pallido seri torrenti innatantes, in sex minores, e quibus conflati sunt, resoluti ipsum serum pariunt, sed pallidi serosi globuli in sex minores iterum divisi originem dant crystallinae, cui immersi ferebantur, lymphae & sic porro, quo ad subtilissimi animales spiritus emergunt. vid. *Boerb. Inst. Med. §. 226.*

Apparet ex his, quod si vasa nimis fuerint debilia humores debita cum celeritate circumferri nequeant. Unde cruda in-

Ingesta sufficienter attenuari & inquilinis nostri corporis fluidis adsimilari non possunt: hinc sensim indigesto crasso cruore vasa infarciuntur. E contrario, si vasa justo majore polleant robore, prius quam aequabiliter perficiant adsumpta, tenuiores, magis mobiles & nobiles eorum partes e corpore per vasa perspirantia difflant, residuum vero, utpote valde jam crassum & viscidum, attenuationi per se ineptum reddetur. Sed utrumque talem *humorem melancholicum* esse infra demonstrabitur.

§. VIII. Inter præcætericas Melancholiae causas notatur imprimis *Exercitatio corporis aequo plus intermissa*. Ratio hujus causæ haud difficulter intelligitur. Enimvero, detrudebatur quidem sanguis satis velociter vi cordis, robore & elasticitate fibrarum muscularium ipsius arteriae per vasa arteriosa: sed iis viribus ad extrema arteriarum fere emorientibus, ut per venas multo laxiores & debiliores expeditius ad cor redire valeat, musculorum agentium concussio, quæ tum fit, dum corpus in motu est positum, necessario accedere debet. Confirmat id pulsuum in exercitato corpore aucta celeritas, & ejusdem in requiescente sensim facta retardatio. Unde liquet, in *non exercitato corpore* multo segniorem esse humorum circulationem, per consequens, & attenuationem. Conf. *Boerb. Inst. Med. §. 415.*

Observamus denique, in homine sano a motu musculari libero *respirationem* quoque multo esse *remissiozem*. Profecto, dum profundis meditationibus immersus sedet in Museo Philolophus vix vel hircere animadvertitur. Sed apud omnes perspicaciores Physiologos in confesso hodie est ingens respirationis necessitas ad humores perficiendos: tum quatenus ad ingesta in primis viis rite digerenda concussio viscerum abdominalium per diaphragma & musculos abdominales in ipso actu respirationis exerceri solita plurimum confert; tum quatenus vasa aërea pulmonum sanguinem crudum, chylosum, qui in universo corpore circumferri solet, per vasa ejusdem sanguifera his vasis intertexta prius trajicientem, conquassant, atterunt, in verum sanguinem mutant, ad celerioremq;

motum, ad ulteriorem humorum perfectionem § VII. adeo necessarium, concitant. Accedit his, quod in non exercitato corpore *perspiratio* quoque multum *imminuatur*. Unde aquosum illud perspirabile in vasis minoribus & cavitatibus cellulosis accumulatum totam corporis temperiem (§. cit.) relaxat, & ad ingesta cruda in naturales humores convertenda quotidie magis ineptam reddit. Quid non atterunt frequentius sudantis messoris laboribus indurata ilia? quum debilia in umbra degentium sedentariorum viscera vel blandissimis jusculis digerendis vix sufficiant. Vides ex his, *corporis exercitatione neglecta*, concoctionem adsumtorum rite peragi non posse, sed eadem calore loci corrumpi & in ipsis his visceribus omnia pessima symptomata supra §. IV. a *Cel. Hoffmanno de Affectione Hypochondriaca* notata producere: universum systema vasculosum sanguine indigesto repleti, & venas, per quas, ut statim diximus, in hoc statu difficillime potest fluere sanguis, infarciri: tenuiores humorum partes, per consequens ipsos animales spiritus sensim deficere, corrumpi: sicque oeconomiam naturalem & animalem mire turbari: tandem ipsam quoque *Melancholiam* facile ingruere. Ex dictis hoc spha etiam id ultro cognoscitur, quomodo ex *nimio somno*, ubi scilicet corpus in perfecta quiete est constitutum, humor melancholicus generetur. Imprimis si consideretur, ut dum somno nimium indulgentes, corpus, ut solent, stragulis curiose tegunt, collecti sub iis vapores, velut balneum quoddam vaporarium constituunt, unde relaxantur oscula vaporum perspirantium, quo pacto ingens copia partis liquidioris excernitur, & residuum sic inspissatum tanto segnius poterit suos circulos per ipsa vasa absolvere.

§. IX. Nunc vidimus solidorum minus recte constitutorum efficaciam in procreando *succo melancholico*. Sequitur jam ut contemplemur quid *ingesta & excreta* ad eum conferre valeant? Quod ergo ad *ingesta* (§. VI. N. 1: 4. 5.) attinet: recententur inter ea cum primis, *cibi crudi & concocta minus faciles*, relate scilicet ad conditionem corporis §. VII. VARI. declaratam. Ut enim bene sapiens Antiquitas, *non*

siccum

hocum neque humidum, neque calidum, neque frigidum hominem laedere existimavit, sed quod in unoquoque robustum est & natura humana potentius id laedere censuit & tollere comata est. Gal. de Prisc. Med. c. vii. ita hic quoque si talia corpori ingesseris quae vi viscerum superari nequeant, frustra expectabis ex eo naturalibus adsimilatos humores. Dum durus arator lardum sale & fumo induratum feliciter digerit, tum debilis puella ex mollissimis quoque oleribus pravum conficere chylum observatur. Quid ergo fieret si ejusmodi hominibus cibos terrestres, tenaces, solidos & glutinosos exhiberes? qualia sunt Lardum, carnes annosorum & macilentorum animalium, ferarum & voluerium vegetabilibus pastorum recentes, salitae, non satis elixae vel assae, nec bene masticatae, aut post adsumptionem per validiorem corporis motum e ventriculo statim excussae: nec non Pisces majores; glutinosi limaces; olera & legumina magno lentore praedita; Vina crassa, nigra &c. jam olim a Galeno De Loc. aff. L. III. c. 10. subjectis Melancholicis valde noxia pronunciata. Recte profecto Hippocr. de Vict. rat. san. L. I. c. 2. Homo comedens sanus esse non poterit, nisi laboribus exercetur. Et alibi: oportet, ut, qui dura & multa comedunt, etiam duris & multis laboribus corpus exerceant, ut sic cibus labori sit proportionalis. L. III. c. 3.

Nec multum differunt a statim dictis panificia non bene fermentata. Quorum ea est natura, ut blanditiae sua incautis multum se commendent, & cum sufficienti aquae copia a visceribus conquassata eousque se dilui patiantur, sit per angustissima licet lacteorum oscula penetrando, ad sanguinem facile deferri queant; summam tamen visciditatem, qua pollent, nullatenus exuunt, his quoque mutationibus perpeffis; nisi nova accedat fermentatio, cui in primis viis quidem forte aliquis locus conceditur, sed in ipsis vasis penitus denegatur. Adfusus ergo ex iis paratus chylus sanguini glutinosa spissitudine totam ejus massam inficiat oportet: maxime, si diluens aqua per vasa excretoria elabatur. Hinc videmus Judaeos ex lege Mosaica, paupereulos necessitate imp-

pulsos, massis ejusmodi infermentatis frequentius utentes pallidos, variis viscerum obstructionibus, & Melancholiciæ obnoxios vivere. Nocent vero hæc imprimis, si *calidiora* ingerantur; quia delitescentem in Ventriculo aërem rarefaciendo, per nimiam distensionem fibras ejus debilitant; & varia huic visceri circumjecta Vasa comprimi faciunt, & quæ inde sequuntur. Si vero diutius hæreant in officina chyli, aescunt, & plurimas tubas excitando his in locis, eadem acrimonia ipsum sanguinem quoque brevi inficiunt. &c.

§. X. Ad ingesta melancholicum humorem largientia referuntur etiam *cibi & potus flatulenti*. Sic dicti, ob copiosum quem in se continent aërem, vel quod longe probabilius videtur, ob qualitatem, quæ viscera ita disponunt, ne aërem cum & in iis ipsis cibis aut alio modo deglutitum digerere, vel indigestum relictum ructu vel crepitu expellere queant. Plurimis experimentis compertum legimus a *Magno Boerhaavio Elem. Chem. T. I. p. 519. & seq.* Quod Aër, dum in suas particulas resolutus inter interstitia particularum alia corpora constituentium delitescit, nullam habeat elasticitatem, sed ex iis locis excussus, dum duæ, tres &c. ejus particularum concurrunt, se invicem repellendo, phaenomenon elasticitatis exhibent. Id ratione alimentorum quoque verum est. Et procul dubio inde fit: quod eodem cibi generentur, *hic* nullos sentiat flatus, *ille* ab ingenti ejus copia tumeat & continuis vexetur borborygmis, ructibus &c. Quia nimirum robusta & munere rite defungentia viscera ipsa opera qua alimenta resolvunt, extricatum sic ex eorum poris aërem chyli particulis iterum adeo perfecte intricant, ut particulae aëreae ad se invicem accedere nullo queant modo; sed absque ullo elasticitatis indicio haud contemnendam fluidorum & solidorum nostri corporis partem constituere aptae sint. Hæc, quum debilia & in motu suo peristaltico turbata viscera præstare non valeant, ex quibusvis cibis plurimos generent flatus necesse est. Facile jam ex his intelligitur, qui debeant esse *cibi & potus flatulenti*: & quid illi ad *Morbum Melancholicum* conferant. Tales scilicet sunt: I. omnes *emol-*
lientes.

lentes, laxantes fibras viscerum: Ubi imprimis damnantur, uti supra inter causas recensuimus; *potus aquosi tepidi, oleosa, pinguis, farinosa &c.* 2. *quae turbant motum peristalticum;* ut *solent, acria stimulantia, austera:* hinc, *fructus horaei,* maxime, *immaturi, & alia acescentia.* Quod si nunc, ut fieri assolet, haec longiores moras nectendo in primis viis acrimoniam contrahant, mobilissima in hoc statu viscera irritabunt, vagis spasmis mire constringent, distrahent; sicque omnes functiones harum partium, & quae cum his consentiunt, turbando, veras *Affectiones spasmodico-flatulentas sive Hypochondriacas,* quas *Melancholiae speciem* esse diximus, producent.

Gaudent praeterea *Acida* imprimis *fortiora & austera* facultate solida constipante, fluida inviscante. Id vulgari constat experientia. Etenim, si quis acidos immaturos aut austeros sylvestres mandat fructus, sentit illico valide constringi labia, fauces; pauca, viscida evadit saliva; si deglutiat, sitis urget, arida & constipata reddetur alvus. Coriarii quoque coria ab aqua fere in gelatinam resoluta iisdem iterum in rigidissimum corpus adstringere norunt. Ita & Chirurgi fortioribus acidis & austeris vel profusissimas haemorrhagias compefcere possunt, ut ad oculum apparet, constringendo vasorum ruptorum orificia & coagulando in iis fluida. Hunc effectum, si intra Corpus adsumantur, ibidem quoque exere non desinent. Videmus profecto acetariis fortioribus liberalius indulgentes sudore perfundi: (procul dubio, validius stimolata & constricta vasa exprimunt liquidiorum partem), & a longiori eorum usu corpora emaciari. Fatendum equidem, quod intra vasa haud possint dicta *acria* tantos effectus edere, quam extrinsecus observantur. Quia sphincteruli vasorum lacteorum ad contactum ejusmodi acrium illico se contrahunt, & aditum iis ad sanguinem praeccludunt: plenarie tamen, ut ex effectis satis patet, excludere non valent. Contrahunt ergo, si imprudenter nimis large & diu usurpentur ejusmodi acida & austera, viscera primarum viarum, & exsiccant in iis fontes liquorum gastricorum & entericorum ad digestionem alimentorum adeo necessariorum;

siève chylificationis opus pervertunt: ipsum vero sanguinem inviscant, inspissant & ad liberio rem motum, secretionemque animalium spirituum ineptum reddunt. Ex utraque vero conditione quomodo Melancholia sequatur, jam in superioribus tetigimus, & infra uberius declarabimus.

Idem quoque effectus expectandi a *Spirituum fermentatorum immodico* usu. Ab iis enim pariter arescunt viscera chylipoetica, & ab orgasmo, qui toties concitatur in humoribus, quoties activi hi liquores iis affunduntur, distenta vasa enervantur; mobilia e sanguine diffillantur. Hic conspicimus, potibus spirituosis deditos nisi languentes spiritus novo ingurgitato potu continuo excitent, admodum torpidos, tristes, melancholicos evadere.

§. XI. Quemadmodum vidimus posse talia corpori ingeri, quae *succum* dant *Melancholicum*, ita, possunt talia ex eo excerni quae eundem *succum* post se relinquunt. vid. §. VI. N. 1: 8. Ex eorum genere sunt: 1. *Nimia salivae exspatio*, plurimis ex prava consuetudine, aliis ex perverso usu Nicotianae valde familiaris. Hoc pacto enim, neque alimentorum resolutio poterit esse sufficiens, quae multum debet admixtae salivae, & sanguis tanta aequi humoris portione, a qua pendet praecipue ejus fluiditas, orbatus, spissus & per minora vasa immeabilis evadet. 2. *Immodica & praematura liquoris genitalis profusio*. Observavit jam olim *Aristoteles*: omne animal post coitum evadere aliquamdiu triste & melancholicum. Non tantum, quia spirituosa parte sic privatur sanguis, sed quia ex nimio orgasmo, quem humoribus conciliat aestus venereus, distenta vasa, fervore illo extincto, relaxata, non valent sufficienti copia & impetu ad cerebrum pellere sanguinem, ut idonea fiat animalium spirituum ad legitimas functiones mentis & corporis necessariorum separatio. 3. *Haemorrhagiae majores narium, venarum haemorrhoidalium, uteri, vel aliorum vasorum*. Exinanita enim ultra tonum vasa, non possunt residuum sanguinem propellere, attenuare. Unde stagnatio, lentor, spirituum inopia. Idem, ut & id incidenter hic memorem, evenit,

si consuetae humorum evacuationes per nares, haemorrhoides, menses, perspirationem &c. supprimantur, vel usitata venae sectio negligatur: Causis interim sanguificis in vigore perseverantibus. Observavit *Galenus Comm. ad Aph. 21. Hipp. S. VI.* Plurimos per largiorem haemorrhoidalem fluxum a Melancholia purgatos, quibus, si caedem evacuationes supprimerentur, recidivam patiebantur. Nec mirum, cum ultra modum distenta vasa tantam molem sanguinis movere, atterere, & quae inde sequuntur, non valent. 4. *Perspiratio nimia & sudor copiosior.* In illo enim casu lymphata tenuis, a quo observante *Leeuwenhoeckio* pendet seri fluiditas, in hoc vero ipsum serum quoque, quae sui interpositione sanguineos globulos fluidos iervabat, excernitur. Deficit ergo nunc & sanguinis fluiditas, & ipsa animalium spirituum praeparatio & secretio. &c.

Præter statim dicta, variae adhuc enumerantur §. VI. N. r: 6. 7. 9. 10. causae, quae, ut videtur, liquidiorum hanc humorum partem iusto magis evacuando, teste experientia Melancholiam inducere contuere. Sunt vero illae causae partim materiales partim immateriales. Ad primam classem pertinent. 1. *Febres calidae.* Siquidem in stadio frigoris per vias urinarias, in stadio vero caloris per copiosam perspirationem, & largos haud raro sudores, ingens quantitas talis liquidi e corpore secedit. Maxime si ex *Helmontii* aut *Sylvii* methodo, acidum, ut illi opinabantur, febrile, in initio Morbi statim sudoriferis expellere coneris: intereaque, non minus perversa praxi, omnes potus aquosos refrigerantes, diluentes, ne nimirum, ut ajunt, per eos remedia efficacia minuatur, severe prohibeas: deceptus forte auctoritate *Asclepiadis*, qui, in Febris initio, vigiliis & siti volens labefactare vires aegri nequidem os elui patiebatur: aut paulo benignioris *Celsi*, qui os quidem, si siccum & foetidum foret, elui permittebat, sed interne adsumi aquam periculosissimum iudicabat. *De Medic. L. III. c. 6.* Vel, nondum soluto humorum lentore, amarissimo Cortice Peruviano, aut aliis valide adstringentibus Febrem iupprimas. *Docuit*, inquit *Magnus Boerhaavus in Pr. Med.*
ad

ad §. 1095. & Ill. v. Swietenius Comm. T. III. p. 470. *Magnos Viros experientia, utraque hac methodo multos Febricitantes evasisse Melancholicos.*

2. *Epilepsia & Malum Hystericum.* In his morbis, diris spasmis convulsi & concussi musculi, constrictaque vasa similiter exprimunt id quod magis mobile erat in sanguine. Observavit Boerb. de Vir. Med. p. 61. Quod ante per poros cutis sub spatio 24 horarum ad ß v. perspirare solebat, jam mutato in malo Hysterico cursu, sub eodem tempore ad ß vi. vel vii. per renes excerni. Sed & convulsivos horum Morborum paroxysmos excipiens lassitudo, laxitas & humiditas cutis, frequenter sat copiosi etiam sudores, per poros quoque cutis multum liquidioris materiae diffari satis arguunt. Accedit, quod per validam illam distractionem enervata vasa, vix tandem sufficient ad debite movendos & attenuandos sic inspissatos humores.

§. XIII. Sed certe hactenus expositarum Materialium causarum efficacia in inducenda *Melancholia* nullatenus potest equiparari cum ipsius *Animae*, licet rei immaterialis, energia. Ubi notabantur. 1. *Nimiae curae, continuæ & profundæ meditationes.* Enimvero, praeter neglectum Corporis exercitium §. VIII. severe nunc exercentur omnes sensus solo spirituum animalium ministerio usi. Unde & immensum nobilioris hujus liquidi consumi docet has animi cruces excipiens mentis corporisque languor & debilitas. Fit vero hoc praesertim, *si in una eademque re mens se semper exercent.* Ea enim est rerum natura, ut quo altius quis in iis scrutandis penetrat, eo plura se oggerant momenta consideratione digna. Omnes ergo nervos suarum virium mens intendit; dies noctibus jungit, ut quantocyus illa superare valeat; adeo ut plurimi scientiarum dulcedine inescati, ne quidem illud tempus, quod cibis adsumendis consecrandum erat, vacuum anxii meditationibus relinquere velint, sed Literas cum ipsis alimentis devorandas putent. Vere profecto *Celsus de Medic. Lib. I. in Praef. Literarum quidem disciplinam animo necessariam esse, sed corpori valde inimicam.* Certum est, sic

sic ait *Ill. v. Swieten Comm. T. III. p. 466. Philosophum profundis meditationibus immersum plus debilitari, quam si valido motu per idem tempus corpus exercuisset.* Ita nihil est ex omni parte beatum! omnium enim Mortalium felicissime vivere possent, qui sapientiae studio operam dant, nisi tot morbis ex hac sola causa natis obnoxii forent. *Longe ergo beatiores sunt illi, addit Vir Illustris, quos vitae vel muneris gerendi ratio avellit, licet inuitos, a Libris. Quamvis enim non ideo a mentis laboribus vacent, tamen ipsa laborum mutatio incredibile solamen adfert.*

Intendunt vero summo opere harum causarum vires indivulso nexu associatae *vigiliae*. Siquidem in vigiliis non tantum internis externisque sensibus dicati spiritus continua depascuntur functione; sed & motibus vitalibus naturalibusque inservientes plus minus semper exercentur. Unde naturae humorum & mechanicae eorundem praeparationi conformiter credibile est, ipsos animales spiritus justo plus tandem attenuari, & sic e corpore majori quantitate diffari; imo forte & aliquam acrimoniam induere, & vellicando suos tubulos sui excretionem accelerare. An non inde provenit post protractiores vigiliis, pertinacior fuga somni, pulsus acceleratus, & nescio quae molesta sensatio in universo corpore? Quare id in his non posset fieri, cum in reliquis humoribus post nimium corporis motum toties contingat, sane rationem non video. Id saltem certum est, quocumque demum modo id fiat, mirifice exhauriri per immoderatas vigiliis animales spiritus, neque posse eos semel deperditos ulla arte & remediis, nisi solo somno recuperari. Cum vero sine influxu eorundem spirituum vasa in contentos humores agere nequeant, liquet & ex his causis crassos, erudos & liquidiore parte inopes debere generari humores. Tales vero Melancholicos esse, in sequentibus demonstrabitur.

Memorabatur inter causas Melancholiae etiam *vita solitaria*, cujus operatio ex dictis *Spho VIII.* & hocce facile elicitur. Quandoquidem vitam solitariam agentes vel severis & plurimum uni rei infixis meditationibus, vel otio corporis

ris & somno indulgentes, tempus transigunt.

§. XIV. Inter causas denique immateriales comparent II. ipsi *Animi Affectus inordinati*. Quos inter summe efficax deprehensus est *Moeror*, sive absque ulla consolationis spe animum profunde obsidens *Tristitia*, & ei affinis *Timor*. Humor Melancholicus constanti fere lege tristes & timidus reddit homines. Ita vice versa, hi ipsi Affectus praegressi certissime & quidem brevissimo tempore excitatissimum quemque in Melancholiae barathrum praecipitare valent. Quamvis rationem ingentis & subitae hujus mutationis a sola mutata Mentis cogitatione natae ne quidem subtilissimus Metaphysicus explicare queat: ex phaenomenis tamen quid tunc intra corpus contingat conjicere licet. Collapsa enim facies, cutis pallida, sensus constipati quasi cerebri, praecordiorum anxietas, vehemens palpitatio cordis, pulsus languidus, vires collapsae &c. probant, 1. ex minoribus ramis arteriae, per consequens, & ab ipso encephalo, sive a labefactata vi cordis, sive a spasmis ab extremitate vasorum versus basim serpentibus, id eveniat, retropelli humores in majores truncos. 2. non posse interea sufficientes animales spiritus fecerni. 3. ex opposito humorum in eodem canali motu nasci debere stagnationem, qua occasione crassiores sanguinis partes facile adunantur, subtiliores vero e corpore elabuntur: prout id lacrymarum, narium, stillicidia; urinae copiosae aquae excretio; liquidissimus alvi fluxus, utrumque in hoc casu praeter voluntatem etiam haud raro contingens, satis arguunt. Ergo per Moerorem & Timorem inspissatur sanguis, liquidissima nimirum parte spoliatus; & sic ob retardatum ejus motum, crassus & crudus relinquitur. Accedit, quod ingens Timor & Tristitia facit, ut uni eidemque cogitationi severe & diu inhaereat Mens, simulque somnum arcet. Sed utriusque hujus causae summam efficaciam ad Melancholicum humorem generandum praecedenti sphaera jam vidimus. *Timentes & narrantes*, inquit Sanctorius Aph. 3. S. VII. *facile obstructions, duritiam partium, & affectus hypochondriacos patiuntur*. Et ibid. Aph. 9. *Mæstitia si diu durat carnes frigidas facit*.

§. XV. Nec multo segnior est ad hos effectus edendos *ira* *vehementior frequentius exardescens*. In ira enim cum impetu ruere animales spiritus in omnes corporis musculos, liquet, ex rigore & intumescencia musculorum adeo vehementi, ut trepidant membra ac si ingens pondus ab iis sustinendum foret. Unde & impetuose pellitur sanguis e venis ad Cor, e corde in arterias. Hinc rubet facies, prominet & scintillant oculi, sudat corpus, tot inflammationes, diarrhoeæ, mictus cruenti &c. post ferventem iram. Ergo in tam violento humorum motu fieri non potest, quin per omnia tam externa quam interna excretoria vasa, id quod magis mobile erat in sanguine brevi tempore diffusetur, sicque residuum inspissetur, simulque vasa ex nimia illa distensione debilitata inepta reddantur ad ea movenda iterumque attenuanda. Nocere tamen quam maxime observata est *ira*, ut Politicorum mos est, *alto sub pectore diutissime pressa*, adeo ut certe irâ nullus magis exitiosus anguis in sinu foveri queat. Et profecto miseri hi homines suo malo, sed sero tandem discunt, ut dum sub longo adeo tempore erga alios vindictam meditabantur, se ipsos peremerint. Ratio rei manifesta est: cum hic dicta §. XIII. XIV. & hocce, concurrant.

Quid denique degener irae & tristitiae filia, *livida* nimirum *invidia* ad hunc nostrum Morbum conferre valeat, ex dictis de illis Affectibus nullo negotio elici potest.

Paulo mira magis res est, quod ipsa *Hilaritas* & *Amor* obnoxios tandem reddere soleant homines Melancholiae: quum omnes omnino Medici ad fugandam Melancholiam Mentis serenam hilaritatem ut efficacissimum remedium sollicitè inculcent. *Duplici via speratur Melancholia*, inquit Sanctorius Aph. 17. S. VII., *vel libera perspiratione, vel aliqua continua animi consolatione*. Sed ex iisdem causis, si in excessu peccaverint, idem Morbus accersiri potest. Observavit enim statim memoratus Vir industrius, Aph. 28. S. VII. Quod, *Laetitia perseverans per multos dies somnum impedit & vires dissolvit*. Et ibid. Aph. 27. ait: *Laetitia moderata insensibiliter evacuat solum superfluum: immoderata a superfluo & utile; a quacunque*

enim causa fiat, aperit meatus & largam facit perspirationem. Quod & roseus fere sanguinem stillans laetantium color; pulsus excitatus, plenus, durus, tardus, satis testantur. Atqui hinc spissitudo, illinc cruditas humorum nascuntur: & per consequens Humor melancholicus. Hinc etiam vulgaris illius diverbii veritas quodammodo intelligitur. Scilicet, quod omnis effusa laetitia imminentem aliquam tristitiam praefagiat. Si quidem Tristitia fere perpetua Melancholiae comes est.

Amor est species summæ hilaritatis. Ergo effectus etiam est idem. Nisi quod augeant ejus vires ingentes curæ, quas amoris mancipia sustinere coguntur; Vigiliae pertinaces, & anxiae meditationes de objecto sui amoris. Ut nihil hic addam, de frequentibus auræ genitalis profusionibus, dum toties venerea sibi somnia fingunt &c.

§. XVI. Sed ipsius circumfusae *atmosphærae* certas qualitates ad Melancholiam plurimum facere docuit experientia. Ex iis est: 1. *Aër frigidus & ventosus.* Tum quatenus refrigeratis partibus inferioribus laeduntur primarum viarum functiones; multi enim homines si frigido insistant pavimento nudatis pedibus, statim in flatulentias, alvi profluvia, imo in veram haud raro incidunt Lienteriam, & in Feminis legitimæ Mensium evacuationes ex hac sola causa frequentissime interturbantur: tum quatenus ab extremis frigore constrictis ad majora vasa retro-pressi, condensati humores, motum suum circulatorium libere perficere, sufficienterque preparari nequeunt: imprimis quia frigore prius constricta vasa jam regelata valde dissolvuntur. Quomodo ex utraque conditione Melancholia sequatur ex ante dictis facile deduci potest. Simulque intelligitur: Quare hic Morbus, in regionibus septentrionalibus frequentissimus? & unde sit: Quod, plurimi Melancholia imprimis hypochondriaca affectorum in aestivis caloribus multo melius se habeant & vegetiores deprehendantur, quam in tempestate autumnali & hyemali? observante utrumque *Cel. Hoffmanno.*

2. *Aër stagnans, umbrosus, paludosis & putridis exhalationibus infectus.* Certe loca montana, vento perflata incolas

habent floridos, fortes, vegetos, excitatos, quum contra in locis depressis, paludosis, sordidis habitantes pallidi, torpidi, melancholici, scorbutici observentur. Ratio ejus rei proculdubio inde petenda. 1. Quod ejusmodi sordidus, pinguis & humidus aër totum habitum Corporis relaxet, & vasa perspirantia obstruat. confer *Sanctorii Aph. 8. S. II.* 2. Quod oleosis suis sordibus vasa aërea pulmonum infarciat; sanguifera vero his intertexta emolliat, relaxet, sicque ad trajicientem per ea sanguinem atterendum, perficiendum, ut in naturali statu fieri solebat, nunc inhabilia reddat. Sed utrumque hoc jam supra §. VII. VIII. inter causas Melancholiae posuimus. An non pinguis & viscidus atmosphaerae humor a venis bibulis absorptus, ad sanguinemque delatus cacochymiam ejus melancholicam adauget?

§. XVII. Ex omnibus huc usque satis fuse expositis clarissime conficitur, quod per enumeratas in hac classe Melancholiae causas partim chylicationis & sanguificationis opus vitietur, partim liquidior humorum pars dissipetur. In primo casu ingesta in primarum viarum calore diutius haerentia ibidem corrumpuntur & omnia symptomata *Melancholiae hypochondriacae spasmodico flatulentae* uti §. IV. dictum est, producant. Eadem corrupta, cruda, viscida, & quemadmodum naturaliter fieri debet, acida acrimonia infecta materies ad vasa delata sensimque ibidem liquidiore parte orbata *Veram Melancholiam tam universalem, quam Hypochondriacam* generat. Et profecto haec Melancholiae species longe latius se diffundit quam quis opinari posset. Imo *Galenus*, ut supra etiam monuimus, omnem *Humorem Melancholicum* credidit esse *acidum*. Idem sentit & *Cel. Hoffmannus*, *Ettmullerus* & plures alii. vid. *Allen. Synop. univ. Med. Pract. de Hypoch. & Melanch.* Sed revera, multi alii doctissimi Medici contrarium probarunt, & *Humorem Melancholicum* saepe a cacochymia *alcalina* peccare, inter alia ex causis §. VI. N. II. commemoratis deduxerunt. Quomodo autem ab illis causis Humor Melancholicus alcalescens producat, super est, ut in id quoque brevissime inquiramus.

§. XVIII. Hunc in finem notari in antecessum volumus: quod sanguis noster, praeter aquam quae $\frac{2}{3}$ partes ejus & ultra constituit, salem, cujus etiam notabilis copia ei inest, & terram, duplex ad minimum continet in se *oleum*, alterum *tenue* & supra 32 gr. caloris Therm. Farenh. *volatile; crudum, atrum, viscidum, copiosum sed terrae ardentissime unitum*, alterum: quod, si aquam evaporando abstraxeris, dimidiam partem residuae massae facit. Conf. *Halleri Pr. l. Physiol. §. 169.* Si nunc aquea sanguinis portio, a qua liquiditas & fluiditas totius massae, accedente valorum concussioni, unice dependet, justo plus exhauriatur, crassius vero & viscidius illius olei copia augeatur, ut sic motu ejus & divisibilitate decrescente simul cruditas quoque sensim superaccedat: laudabiles ante humores in *succum Melancholicum* degenerant, uti §. seq. copiosius ostendetur. Pone, oleosam hanc saburram a quacunque causa colliquari, ut sepulti ante in ea sales extricentur, alcalinamque naturam induant, (vid. *Ill. Swiet. Comm. T. I. p. 117.*) tunc *succus ille Melancholicus*, ante quidem ad *cacoehymiam alcalinam dispositus*, nunc autem, *vere alcalicus* dicitur. Utramque jam hanc conditionem inducere humoribus norunt dictae ad §. VI. N. II. causae. Prima quidem conditio infertur, 1. per *Macilentam, strictam, rigidam corporis Temperiem*. Rationem vide §. VIII. 2. Per *largiorem perspirationem & copiosos sudores*, sive id a *Motu corporis nimio*; sive a *calore aëris intensiore*, qui & poros cutaneos aperit, & rarefaciendo humores actionem valorum in eos auget, ut sic majori cum impetu appulsi liquores faciliorem exitum inveniant; sive a *Febre calida diutius perdurante*, sive ab *importuno sudoriferorum Medicamentorum, aromatum, Spirituum fermentatorum usu*, & id genus aliis causis, contingat. 3. Per *Potum aqueum vel nullum, vel valde parcum*, imprimis, accedentibus statim memoratis causis. Pauca enim illa aqua, quae compositionem alimentorum ingreditur, sufficienter diluere sanguinem haud potest. Hinc fit, ut post sitim diutius toleratam incipiamus anxietates sentire circa praecordia: procul dubio quia spissior sanguis non potest libere trajici per ex-

illis.

iliffima pulmonum vafa : unde & fumto largius potu aqueo omnes illae anxietates illico difparent. 4. Si diu versemur in *aëre ficco*; tum quia ejusmodi ficcus aër, veluti verus humidi magnes, affluentes per vafa exhalantia corporis humores potentiffime ad fe trahit; tum quia venae bibulae nihil humoris ex eo abforbere & ad fanguinem deferre, ut naturaliter facere solebant teste miftu copiofo etiam fine potu dum in aëre verfamur humido aut haeremus in balneis, poffunt. Ex his patet etiam ratio: Quare nimirum haec Melancholiae fpecies in locis calidis & ad aequatorem magis accedentibus, hinc in veterum Graecorum Medicorum fcriptis frequentior? & unde fit, quod ea affecti in aestate & autumno pejus fe habeant, in vere autem & hyeme aliquod levamen percipiant? ficcus calidus fcilicet est in iis locis & temporibus aër; interimque ingens penuria melioris aquae. Denique 5. diffipantur tenuiffimi humores per *Vigilias & feveriora mentis exercitia*. Rationem pete ex §. XII.

Liquidiore parte fic fpoliatus fanguis, quum de motu fuo circulatorio multum amittat, illius quoque craffi & viscidi olei, cum attenuari fufficienter jam nequeat, facilis erit proventus. Sed & poffunt talia in corpus ingeri, quae immediate ejusmodi atrabilarium fundunt humorem. Qualia funt, *Pifces & Carnes fale & fumo indurati*. Expulfa enim est ex his omnis pars fluida, reftat fola pars firma & concreti in fuis vafis humores: hinc etiam ingentem copiam toties memorati atri, craffi, viscidi olei, terrae & falis contineri in illis docuit analysis earum chemica. Accedit, quod ipfi quoque liquores aquei viscerum, in refolvendis alimentis ceterum adeo potentes, penetrare in oleofa concreta haec corpora vix valeant, unde per folam viscerum triturationem fufficienter attenuari haud queunt: imprimis in corpore laboribus non fatis exercitato. Huc referenda etiam *Pingua nimis & oleofa*: item, *adufta terreo-oleofa foece scatens Caffè potio*: nec non, *Vina quaedam rubra craffo & viscido oleo infecta* &c.

Colliquare & fic alcalicam reddere potest dictam hanc
fa-

faburram. 1. Quidquid calorem corporis nimis intendit. Ut *velocior humorum circulatio* per validiorem muscularem motum, Febrem, aut alio modo excitata: *externus atmosphaerae calor.* conf. *Boerb. Elem. Chem. T. I. p. 272. & seq.*
 2. Alcalica aut ad alcaliscentiam sive putredinem sponte vergentia liberalius ingesta, nec acidis aut aciescentibus domata.
 3. Exercitatio corporis neglecta. Ea enim est natura nostrorum humorum, maxime oleosae hujus saburrae, ut in quiete calida relicta brevi putrescant.

Sed haec de causis dicta sufficiant. Restat ut computatis omnium harum effectibus, determinemus veram Materiem & Naturam toties memorati *Melancholici* vel *Attrabilarii Humoris*.

§. XIX. Quicumque enumeratos causarum effectus attente mente perpendit, nulli dubitamus quin nobiscum concludat, quod omnium causarum Melancholiae operatio hinc tandem terminetur: 1. Ut ingesta vi viscerum & vasorum debite digeri, attenuari & in laudabiles humores converti impediatur. 2. Ut liquidiori portione sanguinem spolient. Ex utroque vero consequitur sanguinis spissitudo, visciditas, cruditas &c. Hinc fit, ut crassus & viscidus ille cruor, quantum ejus glutinositas & crassities patitur, lento admodum gradu per majora quidem vasa circuletur, id est, ex arteriis in venas ex venis in arterias fluat; sed in serosa, tanto magis lymphatica & iis minora vasa, se insinuare nullatenus poterit. Detrudetur ergo magna copia in venas, quae, quum & laxiores & debiliores sint, ei promovendo vix pares erunt; sed si quid magis mobilis portiois cruori illi inerat, illa, crassioribus tanquam ponderosa foeca a tergo relicta, progreditur ad Cor, inde in arterias: & sic Vena sensim crassa & foeculenta materie infarciatur. An non ex his inferre liceat, Morbi Atrabilarii sedem esse maxime in Venis? Hanc jam *foeculentam & inspissatam saburram* putamus veram, proximam sive internam Melancholiae causam constituere. Ita certe nos docet *Celeberrimus Professor J. OOSTERDYK SCHACHT. Inst. Med. Pract. S. II. L. I. c. IV. §. 10. Melan-*

Melancholia atrabilaria vocatur, (inquit), illa delirii melancholici species, quae producitur ab humore atrabilario intra nostrum corpus generato. Et §. 11. subjungit: Est autem Humor atrabilarius, quem & succum melancholicum appellant, ut bene Veteres dixerunt, foeculenta maxime sanguinis nostri pars, oriunda a dissipatione partium tenuissimarum & adunatione crassiorum terrestrium, oleosarum, salinarum fixarum. Est haec materies, ut eleganter observat. Ill. v. Swieten. Comm. T. III. p. 464. veram amurcam, aut sanguinem in retorta vel cucurbita relictum, postquam magna pars aquei humoris leni evaporatione ex eo abstracta est, sive ipsam picem liquefactam, referens, id est, nigricans, rudis, crassus, tenax & adhærens. Unde etiam apud veteres haud raro exusti vel exassati sanguinis nomine venit. Et Hippocrates de Nat. Hom. Atram bilem omnium qui in corpore sunt humorum glutinosissimum & diuturnas stationes facientem ait. In Libro autem de Aëre & loc. affect. expresse dicit, Melancholiam nasci, si quod humidissimum & aquosissimum est in sanguine consumatur, crassissimum vero & acerrimum relinquatur. Confirmat id ocularis inspectio sanguinis lato vulnere e venis Melancholicorum detracti. Qui, ut observat Cel. Prof. OOSTERDYK l. c. §. 14. & Cel. F. Hoffm. S. M. R. Tom. IV. P. III. S. I. c. VI. est spissus, nigricans, glutinosus, modicum feri intense flavi rejiciens.

§. XX. Potest nunc, ut facile apparet, incipiendo ab Affectionibus spasmodico flatulentis primarum viarum, haec cruditas, spissitudo & glutinositas in majori vel minori gradu esse. Unde etiam Morbi intensitas variabit. Potest denique secundum praevidiam humorum per causas jam enumeratas dispositionem, tam acida quam alcalina acrimonia in hac saburra generari. Quae tamen in initio & abinde fatis diu, nisi vehementiores causae accesserint, viscidae & oleosae illi foeci adeo intricata haeret, ut vix aliqua indicia suae praesentiae exhibeat. Et quod notari meretur, haecenus nondum vocatur atra bilis; sed tantum *Succus* vel *Humor melancholicus* aut *atrabilarius*, qui tantum distat ab atra bile, ut pulcherrime monet *Cel. Prof. OOSTERDYK l. c. §. 11. quantum*

a sobole sua Parens. Inde & Galen. de Febr. L. II. ait. *Humorem melancholicum oportet considerare tanquam nondum factam atram bilem, sed in confusio quodam collocatam.* Et Duretus in Coac. Praen. L. I. n. 74. *Inter Bilem atram & Melancholicum humorem tantum interest, inquit, quantum inter ferrum candens & igne intactum.* At postquam a quacunque causa §. XVIII. colliquato illo oleo acrimonia se prodit, vera *Atra bilis*, & quidem secundum Galenum exacta, secundum Boerhaavium autem *turgens*, dici consuevit.

§. XXI. Differt hæc *spissitudo* sanguinis *melancholica* multis nominibus a *spissitudine* ejusdem *inflammatoria*. Sanguis enim phlogisticus omni dote ceterum laudabilis est, præter inopiam aquei humoris; non tamen glutinosus, unde & facile orgasmum suscipit; nec adhaerens: unde fit ut quum celerrime fertur per arterias majores, in minores & laterales earum ramos impactus, haereat, & continuo in angustiora loca adactus, locum ubi haesit, inflammet. Sed sanguinis melancholici natura uti §. XIX. vidimus, penitus alia est. Crudus & glutinosus est; inde ad orgasmum ineptus: adhaeret vasis instar picis; hinc lentissime potest detrudi per arterias, nec in ramos laterales impellitur, sed eorum orificia præterlabens sensim transit in venas, ibidem accumulatur, stagnat, corrumpitur. Hinc etiam id intelligitur: Quare Melancholici rarissime morbis inflammatoriis, Febribus continuis, Epidemicis contagiosis, quin & ipsa Peste afficiantur, observante Cel. Hoffmanno.

A sanguine scorbutico atram bilem imprimis jam turgentem non ita facile distinxeris. Imo multi clari Medici supremum Melancholiae gradum *scorbutum* dixerunt. Nisi forte humorem atrabiliarium in vasis viscerum abdominalium confici & residere, uti & frequentissime fit, scorbuticum vero per totum corpus diffundi dixeris. Quamquam monente Galeno De Loc. aff. L. III. c. 10. quandoque etiam in universi corporis venis melancholicus sanguis continetur. Accusatur tamen in Melancholia maxime cruditas sanguinis, olei spissi, tenacis, & terrae abundantia: in scorbuto peccat quidem ab una parte

parte sanguis crassitie, sed in altera simul tenuitate acris, salis, alcalina vel acida inficitur. *Boerhaave Aph. §. 1153.*

§. XXII. Ex his, quantum puto, genuina *Universalis Melancholice* natura & origo constare poterit. Nunc excutiendum etiam venit, quare & quomodo eadem *Hypochondriaca* fiat & nominetur? Tanto quidem id excutiendum magis, quia ex eo dabitur occasio respondendi iis, qui non perspicientes originem & naturam *Bilis illius atrae*, quam, ut vidimus, Veteres constanter, & Recentiorum perspicacissimi Morbi Melancholici causam proximam constituerunt, ejus praesentiam in corpore negare non dubitarunt: &, quum vomitu & per alvum saepe nigricans quaedam materies expellatur, eam solummodo in ventriculo vel intestinis concretum sanguinem, minime vero *bilem* dicendam esse censuerunt. Sed revera, tromborum absentia, glutinositas, & ingens illa acrimonia, quae haud raro in rejecta ejusmodi saburra deprehenditur, ut nimirum dentes stupefaciat, fauces erodat, cum terris calcareis effervescat, imo ipsa lintea & pelves metallicas quibus excipiebatur erodat (vid. *Boerb. Aph. §. 1145. van Swiet. Comm. T. III. p. 499.*) quae certe in sensibilibus illis visceribus generari neutiquam potuit, nostram hanc atram materiem a concreto sanguine satis distinguit. Quod si praeterea demonstrare poterimus, nigricantem & acrem ejusmodi materiem posse & debere in certis casibus in ipsa *Bilis flavae* officina parari & inde ad alia loca distribui, nihil vetabit, quin *Bilis*, & quidem ex colore *atrae* nomine etiam eam insigniamus.

§. XXIII. Docuit *Ill. Hallerus Pr. l. Physiol. §. 157.* serum coagulabile sanguinis in universum trigesima octava parte esse graviolem aquam, globulosa rubicunda massam vero pene duodecima leviolem. Unde patet, quod quanto minor aquae & ferri copia inest sanguini eo evadat ponderosior. Pulsus igitur e Cordis principio aquaeo etiam num valde egentis melancholici humoris crassior & magis cruenta pars l. n. tum ob visciditatem, tum ob gravitatem delabitur in aortam descendentem. Sed ex hac aorta procedunt & distribuuntur per viscera abdominalia arteria Coeliaca, Mesentericae inferior & superior, per quas crassus ille & glutinosus cruor etiam ad dicta visce-

ra defertur. Verum, quum in Omento, Ventriculo, Pancreate, Intestinis, Mesenterio, &c. tot tantaeque se-& excretiones tenuiorum humorum in gratiam chylopoëseos, & ad horum viscerum superficies intus & extus inungendas fieri debeant, licet vix ulterior sanguinis attenuatio his in locis expectari queat, facile vides, quam spissum, foeculentum & ponderosum debeat illud esse, quod tandem supermanet. Atqui illud ipsum revehunt rami venae portarum per dicta viscera distributi; & quidem, quod observandum, solius fere respirationis beneficio, quae tamen in subjectis melancholicis valde remissa est. Accedit; quod nullae adsint valvulae in hac vena portarum, quae labentem suo pondere deorsum sanguinem, ut in aliis venis fieri assolet, sustinere possent. Nihil ergo mirum, si sanguinea illa foex in ea sensim accumuletur, magis magisque inspissetur, stagnet, corrumpatur, ingentemque tandem contrahat acrimoniam. Idem erit effectus, si haec eadem vasa a spasmō aut flatibus ventriculi & intestinorum hic & ibi compressa subtiliorem tantum partem sanguinis affluentis transmittant, crassiorem vero partem continuo retineant.

Docuerunt denique iniectiones Ruyschianae Vasa Lienis & Hepatis, ubi scilicet ex ramusculis arteriosis Venae portarum in continuatos canales venae caevae transire debet omnis hic crassus & glutinosus cruor, antequam ad cor adpellat, minime aequare tenuissimi capilli diametrum. Observavit & *Ill. Hallerus Pr. l. Physiol. §. 664*, vasa in Liene adeo emollescere, ut vix amplius sua vi in contentum sanguinem agere queant, sed maximam ejus copiam diductis lateribus admittere & retinere valeant. Quid ergo magis pronum esse poterit, quam ut foeculentus ille sanguis haec viscera pertinacissime obstruat, & in iis accumulatus vel in scirrhum induretur, vel stagnando calore loci foris pessimam induat acrimoniam, moxque colliquescens per poros billarios defluat in intestinum. Unde vel in ventriculum regurgitando vomitu rejicitur, vel defluens per intestina alvo expellitur dysenteriamque atrabiliariam inducit. Saepissime autem fluorem adepta acris haec materies, aut erosio vasis,

reliquo sanguini admiscetur, & in universo corpore distributa ingentem concitat stragem. vid. *Boerb. Aph. §. 1104.* En! veram originem & naturam *Bilis atrae* veterum. Quoniam vero eam vel fixe in ipsa *Bilis flavae* officina nasci, vel natam alibi ad Hepar prius deferri & inde reliquis humoribus affundi ex dictis constitit, commodissime etiam *Bilem* nominare poterimus.

§. XXIV. In tali, taliterque inducto viscerum abdominalium statu consistit, si causam materialem spectes, sic dicta vera *Melancholia Hypochondriaca. Flatulento-spasmodicae* enim ideam jam supra §. iv. dedimus. vid. *Cel. Prof. J. OOSTER-DYK Inst. Med. §. 11. L. I. c. iv. §. 17. Boerb. Aph. §. 1098. Ill. v. Swiet. comm. T. III. p. 481. Confer. F. Hoffm. S. M. R. T. iv. P. III. S. I. §. 15.* ubi notatu digna experimenta datam *Hypochondriacae* materiae ideam confirmantia, in cadaveribus hoc mali genere extintorum observata invenies.

§. XXV. Sed an sola haecenus descripta sanguinis & viscerum abdominalium constitutione circumscribitur omnis proxima *Melancholiae* causa? Minime gentium. Impossibile enim est ut ex tali crassa, oleosa, glutinosa & in minoribus vasa haud penetrante saburra *spiritus animales* debita quantitate & qualitate praediti secernantur. Pauci, rudes, viscosi, acres, debent profecto esse omnes humores ex caecochymica illa materia geniti: necesseque erit spiritibus sic depravatis, omnes corporis & Mentis functiones mirifice turbari. Cujus rei specimina satis clara exhibent symptomata §. v. recensita. Ad quorum aetiologiam, causis hunc in modum expensis, transeundum; ut scilicet tanto evidentius patefcat intricatissimi hujus Morbi *Melancholici* natura & medendi ratio.

§. XXVI. Numerosa haec symptomatum feget originem ducit partim ex laesa chylicatione; partim ex turbata humorum circulatione ex spissitudine massae fluentis & obstructione viscerum facta; partim ex spirituum animalium inopia & dyscrasia, quae omnia in hoc nostro Malo adesse vi-

dimus; partim vero, imo maximam partem, ex tribus his concurrentibus. Ex. gr. ut praecipua eorum brevibus attingamus. *Tensio & inflatio illa Ventriculi & intestinorum N. I: r.* nascitur a materie elastica in his locis aucta vel rarefacta, quod ex laesa chylificatione sponte sequitur §. x. Accedit: quod & *Bilis flava* efficacissimus ille *naturae saps* ad alimentorum debitam solutionem, miscelam, acidi & fermentationis fertilissimae flatuum genitricis statim in duodeno suppressionem adeo necessarius, plurimum nunc deficit, obstructo nimirum Hepate, Liene, & sanguine in vena portarum, unde *Bilis* discernenda erat, degenerante. Confer. *Haller. Pr. l. Physiol. §. 693.* Hinc inexhaustus flatuum & quidem in dictis locis *perstinacissime haerentium* proventus. Quia scilicet motus horum viscerum peristalticus, quo mediante in statu naturali elastica ejusmodi materies discutiebatur vel expellebatur, mirifice nunc simul turbatus est, partim ab irritatione acrium sordium in plieis ventriculi & intestinorum copiose stabulantium, partim ab infartu vasculorum per haec eadem viscera dispersorum. Ex his etiam id facile perspicimus: unde illi *borborygmi & continua quasi murmura?* spalmi enim ab irritatione statim memoratarum acrium sordium excitati, tubum intestinale successive variis in locis comprehendentes, flatus in eo contentos de loco in locum pellendo ejusmodi strepitus edunt. Qui imprimis in intestinis tenuioribus *ad regionem umbilici* conglomeratis, utpote magis fluxis & sensibilibus, percipiuntur. Quod si contingat, ut fistula intestinalis a tali spasmu duobus in locis proxime ad invicem simul stringatur, vides facile, quod flatus incarcerati intermedium locum violenter distendentes *saevissima possint excitare tormina* colo intestino valde familiaria.

§. XXVII. *Flatulentia haec melancholica* non est confundenda cum *colica*. Colica enim a minus accurata diaeta repente invadit & citius transit, acutissimis interea stipata symptomatibus, quae flatu expulso statim conquiescunt. Non ita hic. Nec convenit cum *simplici flatulentia*: quae
 ex

ex cibis concoctu minus facilibus cito generatur; & sumto carminativo sanatur: cum *melancholica* sive *hypochondriaca* semper adsit, nec huic remedio auscultet.

Denique, haud raro in flexuris majoribus coli intestini, in utroque scilicet hypochondrio imprimis tamen sinistro, & in lumbis ad exortum recti intestini inque ipso intestino coeco, incarcerata haerens flatulenta haec materies, *ibi* qui dem veram Hepatis & Lienis obstructionem & distensionem, aut Nephritidem calculosam, *hic* autem calculum vesicae urinae, mentitur. Ponderis tamen absentia, & quod diu, constanter in iis locis dicta materies non perseveret, ab iis quoque Morbis nostram hanc flatulentiam distinguit. Nec ulla hic sequitur arenularum excretio ut in calculo renum & vesicae fieri solet; *sedimentum* enim illud *arenarium* §. v. N. 1: 10. post diuturnam moram, tanquam scorbuticae sanguinis dyrcrasiae foboles ad matulae fundum secedit.

§. XXVIII. *Fames*, ut l. c. n. 2. dicitur, *acerrima vexat ut plurimum Hypochondriacos*. Quia acres illae sordes ex vitiata digestionem continuo natae, plicis ventriculi, intestini duodeni & jejuni infixae, jugi sua irritatione motum horum viscerum peristalticum intendendo efficiunt, ut ingesta licet semi-cocta citissime excutiant; & quod sensilissimae eorum interiores tunicae validissime ad se invicem terantur. Sed inde *fames*. Haller. Pr. l. Physiol. §. 582. Et quum novo & blandiori sumto cibo, qui & attritum sua interpositione arceat, & dictam acrimoniam mitiget, consueverat huic molestissimae sensationi provida Natura subvenire; frequentissime & avidissime cibum appetit. Contingit tamen interdum, ut ingesta in majorem pituitosam glutinosam massam tenacius concreta e ventriculo excuti haud possint, & tum *perit* omnis *appetitus*: Eadem illa pituitosa massa dum in ventriculo occasione respirationis &c. fluctuat, *Nauseam*, quae irritum vomendi conatum significat, inducit. Rarius tamen succedit his conatibus *vomitus*. Quia tenacior & majoris molis est illa massa quam per oesophagum, procul dubio eo tempore etiam spasmus constrictum, (de tali enim *sancium strangula-*

lacione saepius conqueruntur hi aegri) expelli possit. Si vero aut hac via rejici aut ad intestina deturbari queat, repente ingens suboritur fames. Ex his etiam symptomatum ad numeros 3. 4. 5. 6. 8. positorum ratio, quantum puto, facile intelligitur. Id tantum adjiciendum censeo: quod *dura illa cardialgia*, qua frequenter excruciantur miseri Hypochondriaci, nascitur, dum, vel oleosa ingestorum pars in depravata hac digestionem *l. n.* fursum petens os superius ventriculi occupat, & ibidem calorem loci summam contrahens acrimoniam sensilissimum hunc & nervis divitem locum rodit; vel spontanea corruptione, ut solet, acidam acrimoniam induens chymus paulo largius ingesto cibo ad dictum locum quem veteres *cardiam* nominabant, elevatus, irritatione & rofione sua tantos concitat dolores. Notandum enim, quod reliqua ventriculi cavitas naturaliter muco semper tecta a tali acrimonia laedi non adeo facile potest. Hinc & illa *ructuum acerbitas*.

§. XXIX. Fere perpetuum, sed & molestissimum symptoma Hypochondriacorum est etiam *Alvi nimia segnities*. n. 9. Quia & motus peristalticus intestinorum per dictas §. xxv. causas & bilis flavae defectum turbatus est; & mucus intestinalis aliique liquores foecum promotionem facilitantes in hoc statu plurimum deficiunt, depravatis scilicet humoribus & obstructis vasis unde secernendi erant. Idcirco diutius coguntur in ipsis crassioribus intestinis caeco nimirum & colo haerere, ubi validae eorum fibrae omnem succum adeo exprimunt ex iis, ut tandem aliquando pauca & arida scybala insigni cum difficultate excludi queant.

§. XXX. Inter notatu digna phaenomena Mali Hypochondriaci comparent denique n. 7. & 10. *salivae viscidae sive mucii limpidi copiosa sputatio*: & *urinae multae aquaeae excretio*. Quae iterum variis nominibus ex depravata digestionem & impedita humorum libera circulatione ortum ducere possunt. Novimus enim 1. Alimenta non satis subacta pituitosum fundere humorem; cui attenuando vasa quoque laxiori nunc temperie praedita non sunt. Sed cum sanguinis naturam

sequantur inde secreta liquida, non mirum est ex sanguine viscidiorē lentiorē fecerni salivam. 2. Suppressam perspirationem catarrhosos fluxus inducere, quae ob visciditatem & crassitiem humorum, dictasque §. VIII. causas in Melancholicis obtinet. Sed simul hinc etiam discimus: Unde tanta copia illius muci & urinae? Observavit enim per sua experimenta statica *Sanctorius* Aph. 4. §. 1. Perspiratione diffusam materiem omnes reliquas excretiones simul sumtas excedere. Illud vero perspirabile longo & toedioso labore collectum nil nisi aquam exhibuit. v. *Swiet. Comm. T. 1. p. 201.* Tanta ergo aequi humoris copia intus relicta, per alias laxiores se- & excretionum vias, quales sunt glandulae salivales mucosae oris & ipsi renes urinae fecernendae dicati, excretionem augeat oportet. Accedit, quod obstructis visceribus abdominalibus, parum sanguinis possunt recipere arteria coeliaca & mesentericae. Unde major ejus copia applicabitur ad vicinas Emulgentes. Ergo & plus urinae fecernetur. Ceteris enim paribus, quo plus liquidi fecernendi applicatur ad aliquod vas secretorium, eo copiosior debet fieri in eo secretio. Ex hac eadem causa, ad arterias quoque spermaticas plus sanguinis determinabitur. Unde & major seminis genitalis proventus. Et, uti per omnium humorum naturam fieri nunc debet, semen illud acrimonia sua sensilissimas vesiculas seminales irritando, eas ad sui excretionem frequentius incitat. Hinc illa *Hypochondriacorum salacitas & frequentiores nocturnae pollutiones.* n. 11.

Limpiditas denique urinae & aquens ille color pendet, partim a cruditate sanguinis: novimus enim odorem & citrinum urinae naturalis colorem a salibus & oleo sanguinis vitae nimium resolutis induci, quod hic locum non habet: partim a constrictionibus spasmodicis papillarum & tubulorum renalium, ut tenuissimam tantum humorum partem transcolare possint. Unde vero *filamenta* illa *piliformia* urinis *Hypochondriacorum* saepe numero innatantia? Anne a mucō ureterum aut vesicae urinariae in violento per spasmos motu abraso? an potius ab inspissato sero per angustissimos urinae meatus violenter transpresso: Difficilis quaestio videtur,

Porro ut hoc etiam brevibus adjiciam. Ex cruda & pituitosa hac humorum conditione nascitur etiam *color cutis pallidus* n. 13. Loco enim purpurei sanguinis subrubella lymphæ occupat vasa subcutanea, quæ imprimis in illis partibus conspicitur quas natura crassiori cute intacta reliquit: ut lingua, faucibus, labiis, oculo &c. Hinc præterea repetendi *copiosi illi & inodori sudores*, quibus noctu, cum primis *matutinis horis in lecto, perfunduntur* plurimi hac specie Melancholici affectorum. n. 12. Somno enim sopito corpore supra memoratæ binæ excretiones per salivam & urinam aliquamdiu cessant. Interea calore lecti vasa exhalantia magis ac magis relaxantur, oscula eorum aperiuntur; ut appulsi aquei humores facilem exitum hec inveniant. Qui *inodori* nunc sunt, quia perfectam miscelam cum reliquis principiis sanguinis, a cujus attenuato oleo & sale, (plane ut de urina dictum, cum qua in omni statu convenit sudor,) penderet eorum odor, subire haud poterant. Unde etiam prompta adeo secretio derivanda.

§. XXXI. Certis observationibus didicerunt Medici viscera abdominalia præ aliis omnibus corporis partibus, si cor forte exceperis, esse irritabilia, & hinc spasmodicis affectionibus maxime obnoxia. Cui malo tamen expositi imprimis vivunt Hystericæ & Hypochondriaci; inter alia ob causas §. xxv. relatas. Unde etiam sine dubio plurima oriuntur in illis ex aliis principiis vix explicanda symptomata. Ex quorum numero puto esse etiam *crebras illas sed evanidas* n. 12. memoratas *phlogoses, sive incallescencias partium externarum capitis cum rubore faciei*. Scilicet, spasmodice constrictis partibus in abdomine sitis, vasa per eas dispersa sanguine nunc tumida §. xxiii, non tantum non recipiunt sanguinem ex aorta descendente adfluentem, sed receptum quoque ante, nunc in eandem reprimunt. Unde major sanguinis copia versus caput determinabitur, & quidem, quum situs vasorum & canales ossei arterias vertebrales & internos carotidum ramos ad encephalon ducentes hunc impetum sollicitè refringant, in ramos carotidum externos per faciem & exteriora capitis diffusos impellitur. Hinc

Intumescencia, calor, rubor illarum partium. Quae tamen, cessante spasmō, & sanguine per dicta viscera liberum progressum recuperante, brevi disparent.

Phaenomena denique, n. 13. 14. 15. 16. exhibita, praeter hos spasmos sanguinem ad encephalon inordinate pellentes, sicque legitimam spirituum secretionem & motum turbantes, deducenda etiam videntur ex sanguine atrabilario vasa meningum, maxime tamen ipsos sinus, infarciēte. Facendum tamen, quod ob intricatissimam & subtilissimam encephali fabricam, specialem cujusque phaenomeni rationem mechanice exponere videtur esse fere ex impossibilibus.

Quod ad ipsas *Animi affectiones* in hac specie Melancholiae attinet, de iis dabitur commodior occasio dicendi, postquam evolutis & reliquis in corpore occurrentibus symptomatibus §. v. N. II. & III. significatis, ad Pathemata mentis enucleanda progrediemur.

§. XXXII. Diximus supra §. xviii. & quantum spero satis evidenter demonstravimus, haud raro eam etiam habere naturam *succum melancholicum*, ut ad oppositam acidō, id est, *alcalinam*, corruptionem vergat. Notandum autem & hic in antecessum venit. Quod quemadmodum in *atra bile acedente* crassus quidem erat sanguis, sed quoniam ingesta per vasa laxa & debilia sufficienter atteri & resolvi non poterant, ejus rudiores particulae laxius inter se cohaerebant. §. xvii. Contra in specie *alcalescente* vasis sat robustis existentibus, attenuatorum satis humorum rubicunda portio, tenuioribus exhaustis, incipit sensim inspissari §. xviii. inde & multo densior compactiorve erit talis saburra. Ex qua ejus conditione, citata §. v. N. II. symptomata hunc in modum proficisci existimo. *Atra-pallida, sicca & aspera est nunc cutis* n. 5, quia & nigricans in vasis cruor per cutem quadantenus transparet, & materia perspirabilis, cujus jugi adfluxu impactae in poros cutis sordes eluebantur, nunc deficit §. xviii. denique serum & viscida lymphā, quae a tergo vix urgeantur, crasso scilicet sanguine fere tantum per majora vasa circulante §. xix. in vasis cutaneis & perspirantibus una cum dictis sordibus ab atmosphaerae calore in corneam duritiem con-

crefcit: quod lapilli in detritis puftularum ulcufculis nati, & mucus narium fic concretus, arguunt. Hinc, cum & nutritio cutis fimul impediatur, eandem ex atro pallidam, ficcam, afperam & quali emortuam reddi neceffe eft. Hinc & intelligitur: Quare *Tædus in his fenfim obftupefcit?* Præterquam enim quod craffi & vifcidi fint hic fpiritus animales §. xxv. comprimuntur etiam & exarefcunt in callofa hac cute infinitae papillae nerveae fenfus hujus organa. Unde fit, ut plurimi Melancholicorum vel faeviffimi frigoris injurias patienter ferant; nec multum doleant ubi flagellis importuni caeduntur.

Sic ergo, dum craffus Melancholicorum fanguis a minoribus vafis non receptus per majora tantum vafa circulari cogitur, fuo, etfi lento ob glutinofam indolem, ut ex pulfu tardiore colligitur, valido tamen & rudiori attritu ad canales hoc in ftatu firmos & infartos, excitat *fenfum caloris internum, cum fuperficies corporis ad tædum frigeat.* n. 6. Novimus enim ex Phificis, quod quo denfiora, magis elaftica & compreffa fuerint ceteris paribus corpora ad fe invicem terenda, tanto major nafcetur ex eorum attritu calor. Novimus item ex *Acutiffimi Leuwenhoeckii* experimentis, rubicundos noftri fanguinis globulos, ex quibus tota fere massa humoris atrabilarii alcalcfcentis conftat §. xix. effe folidos & elafticos. Non mirum ergo fi ex faburrae hujus ad fua vafa attritu calor fuboriatur.

§. XXXIII. Denique, dictum etiam eft ad §. xviii. *fucum hunc melancholicum* putredini five alcalcfcentiae valde effe obnoxium: & id ex fola ftagnatione contingere poffe, imprimis fi calor fimul accefferit. Sed utramque hanc conditionem in hoc noftro Morbo faepiffime adeffe ex §. xxiii. patuit. Corrupta ergo putredine in vafis & vifceribus abdominalibus ftagnans faburra, tenuiffima harum partium Itamina gangraena quali inficit, ficque omni fere fenfu & irritabilitate exuit. Id certe innuit *Lingua & tota interna oris cavitas ficca, afpera, fufca, fordida, grave olens.* n. 2. quae omnia fimilem prorfus primarum viarum ftatum apud quosvis per-

perspicaciores Medicos luculentissime arguunt. Primis autem viis taliter affectis, fieri certe haud potest quin & *Appetitus brevi profternatur.* n. 1. Accedit, quod & ingesta per putridos illius saburrae vapores ad putredinem disponantur. Horret vero natura omne putridum, utpote suae substantiae valde inimicum. Tantillum ovi putridi imprudenter adsumti per plures dies appetitum destruere valet. Loquuntur de hac ingestorum depravatione *Ructus etiam nidorosi & piscem olentes.* n. 3. atque avidus appetitus *aquosorum, acidorum-ve.* Haec enim putredini resistunt, illa jam putrida e corpore eluunt.

§. XXXIV. Inter symptomata utriusque speciei Melancholiae communia, sive sic dictam melancholicam sanguinis dispositionem in genere prodentia, constanti lege & quam maxime notantur *Torpor, lassitudo, debilitas, ingens toedium, tristitia, timor, sine externa causa.* „ Rident equidem & laetantur interdum „ Melancholici, cum se putant esse divites, &c. sed revera, „ ut pulcre monet *Etmullerus*, non est illa vera hilaritas, „ nec verum gaudium, sed potius apparens & cum risu falso donio conjunctum, transitorium, & facile succedit novus moeror & praecordiorum anxietas. Aut melancholia in stultitiam jam mutata est. Tria priora horum phaenomenorum contingunt, si prompta musculorum contractio & relaxatio impediatur, aut spiritus animales debita velocitate & quantitate in eos influere nequeant. Sed ad utrumque efficiendum valde aptus est sanguis melancholicus. Ad prius quidem quatenus infarciendo serosa & sanguinea musculorum vasa, eos rigidos, turgidos & callosos reddit, locumque fibris intumescensibus in musculo agere volente non concedit, partim ob suam glutinositatem, partim ob venarum quibus impellendus erat plenitudinem §. xix: posterius autem quatenus crassus, viscidus, legnes, paucos largitur animales spiritus §. xxv: forte & quatenus venae in hoc Morbo saepius varicosae decurrentes in vicinia nervos comprimunt. Omnia autem haec memorata symptomata simul ingruunt; quoniam per minora vasa crassus & glutinosus hic sanguis cir-

culari nequit. Certe si sola impedita perspiratio a quacunque causa, moestitiam & timorem facere soleat *Sanct. Aph.* 8. S. VII. nemo mirabitur, si in Melancholicis omnium pessime perspirantibus eadem phaenomena observet. Denique quod clarius adhuc nostram rem illustrat, videmus, 1. quod dum aestu atmosphaerae aut per validiores & protractos corporis motus, perspirando & sudando fluidiores humorum partes nimium distillantur, paulo ante excitati, agiles, hilares; lassii, torpidi, morosi & tristes continuo fiunt: procul dubio quod inspissatus sanguis per minora vasa fluere jam libere haud possit: quod & anxietas statim describenda testatur. Atqui similis neque ob suam oleosam visciditatem facile diluenda spissitudo inest sanguini Melancholico. 2. Quod simplex plethora eadem inducat symptomata, quae unica v. s. feliciter aufert. Sed plethoricae valde sunt Melancholicorum venae §. XIX. 3. Quod quo magis sunt vasa humoribus pervia, eo magis sunt animalia levia, agilia, excitata, testante id aetate eorum juniore: & quo aetas ulterius vergit, & corpus duriore labore premitur, tanto tardiora, torva & morosa magis evadunt. Quam agilis, hilaris & ludibunda est roseo rutilans colore puella! sed quam tardus, torvus & morosus, turgens atro cruore callosus rusticus, & aetate gravior aliquis senex: in quorum corpore, ut inter cetera injectiones anatomicae docent, innumera vasa occalluerunt, quae in juvenili & delicato erant pervia. Sed certe admodum callosa sunt Melancholicorum corpora §. XXXI. Quis ergo mirabitur si torpidi, lassii, debiles, tœdio & tristitia pleni observentur.

Ex his jam ut causis facile nascitur *sedendi & solitarie commorandi studium.* n. 2.

§. XXXV. *Respirationis* quoque *negotium* insignem patitur mutationem in subjectis Melancholicis. n. 3. Nec mirum: quum & ipsa substantia pulmonum atrabilaria hac saburra infarsa est, quod ejus flabellationem multum impedit; & ventriculus, intestina flatibus semper tumida, cavum pectoris, elevando diaphragma, arctant; simulque omnia viscera

cera dicta saburra infarta & onerata, organis dilatationi & coarctationi pectoris inservientibus resistunt. Non potest ergo irruens aër pulmones facile expandere, unde *parva, lenta, & anhelosa consequitur respiratio*; & magna nascitur *ad praecordia anxietas*. n. 4. Observant enim Physiologi, quod si ad orificia cordis incipiat sanguis accumulari, ut Cor contentum in suis cavis libere & penitus expellere nequeat, statim molestam illam sensationem suboriri quam *anxietatem* vocant. Sed ne Cor se penitus & libere evacuet id multis modis impedit humor melancholicus. 1. Quatenus respirationem imminuit. Diduci enim debebant ab invicem rami bronchiorum, ut e dextro cavo in intertextis iis sanguifera vasa venosus sanguis impelli posset, quod ab aëre copiosius in pulmones attracto fieri consuevit. Hinc & videmus, *crebris & ex imo pectore natis suspiriis*, sive validiore *in- & expiratione aëris* identidem tentare nunc providam naturam si hoc impedimentum avellere posset. Accedit, quod arcta nimis & decimam partem unius capilli diametro haud aequantia sunt illa pulmonum vasa per quae trajici deberet crassus & glutinosus hic cruor ut e dextro Cordis ventriculo in sinistrum perveniret. 2. Quatenus obstructis visceribus abdominalibus, coeliaca & mesentericae in venam portarum, Aorta descendens in coeliacam & mesentericas, se evacuare non possunt, unde regurgitat sanguis usque ad sinistri cordis orificium. Et sic utrimque anxietatem parit.

Incrementum vero horum symptomatum vis post pastum & commotionem corporis; quia *nunc* conquassatis per musculos vasis, majori copia & impetu ruit sanguis ad cor & pulmones, *tunc* autem & ventriculus magis tumet, & venarum plethora atque humorum visciditas ex largius affuso chylo augetur.

§. XXXVI. *Pulsus denique tardus & lentus* hinc est, n. 5. quia crassa & glutinosa saburra difficulter potest moveri per vasa; *durus* tamen, quia arteriae suum sanguinem non valentes libere transfundere in turgidas venas, dum novus e corde intruditur valde distentae tangenti digito fortius resistunt: accedit & cruoris densitas.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Quod porro ad *Affectiones Hypochondriorum &c.* attinet: illarum ratio liquet ex §. XXII. & XXIII. Id ergo tantum adjiciendum hic puto: quod licet haud raro ultra modum distendantur & a turgida jam atrabile rodantur viscera in hypochondriis sita, acutum dolorem tamen minime excitant: quia observante *Ill. Hallero. Pr. I. Physiol. §. 663. & 697.* Lieni valde paucos, Hepati quidem paulo plures sed valde tenues & facile rumpendos donavit sapiens natura nervos.

Protuberant frequenter in varices vasa hemorrhoidalia n. 6. quia l. n. ponderosa saburra ex vena portarum delabitur in has laxas & minus resistentes partes. Quae, ut dictum, si casu rumpantur insigni cum levamine deplent onerata vasa viscerum abdominalium. Notari tamen meretur: quod cruor ille atro colore horridus, qui per anum saepe larga copia effluit, non semper ex venis haemorrhoidalibus erumpit, sed haud raro ex Hepate, Liene, per ductus bilarios, aut ex vasis per omnem tractum fistulae intestinalis dispersis anastomosi aut diaeresi apertis, in cavum intestinorum infunditur. Sic praecipua Melancholiae symptomata quae Corpus concernebant evolvimus: superest ut ea quoque quae *Mentem* obsident breviter consideremus.

XXXVIII. Ex arctissima illa unione quam sapientissimus nostri conditor inter Corpus & Mentem posuit, fieri nullatenus potest quin affecta Mente Corpus quoque afficiatur, ut & dicta §. xiv. & xv. satis evincunt: Ita vicissim corpore male se habente Mentis etiam status perturbetur. Rei veritatem experientia teste novimus. De modo quo id fiat, an per mutuum aliquem physicum influxum? an per harmoniam inter actiones duorum horum Entium praestabilitam? non nostrum sed Metaphysicorum est disputare. Nos ex fidelissimis observationibus novimus, *dupliciter* affici in nostro Malo a Corpore ipsam Mentem. *Symptomatice*, dum scilicet ab atrab. saburra praecordia onerante, per mirum, & ex haecenus cognita corporis fabrica nondum explicabile praecordiorum cum capite commercium, turbantur ejus cogita-

gitationes: vel *Idiopathice*, dum immediate ipsum cerebrum sive sensorium commune ita disponitur, ut pravas exhibeat Menti ideas. Qualis autem sit haec cerebri aut sensorii communis conditio, non nisi conjectando hariolamur. Experimentis enim in id inquirere impossibile est. Ex magis notis tamen, per legitimas consequentias super eo aliquid determinare conabimur. Novimus scilicet, quod naturaliter ad similes mutationes sensibus externis impressas & ille idem homo variis temporibus, & varii homines eodem tempore similes forment ideas. Neque caret veri similitudine, quod quoties aliquid percipimus extrinsecus per spiritus nerveos motus aliquis ad sensorium commune deferatur. Denique, quod ipsi animales spiritus proprios habeant canales per quos feruntur: qui canales sunt nervi seu subtilissime resolutae arteriarum propagines. Certum etiam est, quod easdem ideas non cujusvis nervi affectio possit excitare: sic ophthalmicus non audit, non olfacit, acusticus non videt &c. Sed quaeritur: num ex. gr. omnes nervi ophthalmici pro vario quo afficiuntur modo nunc has nunc illas ideas valeant excitare? an vero singulis ideis simplicissimis, ex quarum collatione affirmando, negando, infinitae tandem aliae formari queunt, singuli sint assignati nervi; ut hi praecise has, nec unquam alias, valeant excitare ideas? Haec posterior hypothesis videtur nobis majori gaudere probabilitate. Secundum priorem enim concipere haud possum, quomodo eodem organo plures res simul repraesentari queant sine confusione: & extrinsecus affectis organo memoria diversarum rerum antea repraesentatarum perseverare valeat &c. Neque ab his conceptibus abhorre facit immensus rerum repraesentandarum numerus comparatus cum parva mole nervi alicujus organici. Si enim secundum regulas Psychologicas corporum affectiones, ex quibus omnes nostras ideas colligimus, ad sua principia reducuntur, non erit simplicissimarum affectionum numerus adeo ingens, ut iis propriae fibrae in fasciculis nervorum organicorum respondere nequeant. Certe, si vera sit observatio *S. F. Godofredi*

fredi Mat. Med. T. 1. p. 93. quod, ubi perpetuo tenore arteriae in venas abeunt, ope microscopii pilo 14000. vicibus exiliores deprehendantur, licet crassas & rudes rubri cruoris particulas haec adhuc transmittant; & calculus *Leuwenhoekianus* consensu tot Doctorum virorum probatus, quod nimirum sub tanto spatio quantum granulum arenae tege-
re posset hient in cute vasorum perspirantium 125000. oscula: quum nunc fibrae nerveae illis vasis sint millenis gradibus subtiliores; milliones ejusmodi fibrarum debent adesse in aliquo nervo, pone, ophthalmico. Sed missa hac disputatione revertamur ad thema propositum. Extra dubitationis aleam positum esse censemus etiam, quod uti est reliqua corporis temperies, ita ipsum quoque nervosum systema in *hoc* subjecto laxius, debilius, magis sensibile & mobile sit: in *illo* autem, rigidum, callosum, multo minus mobile & sensibile. Nec secus ipsi animales spiritus in *hoc*, subtiles & valde agiles; in *illo* contra, rudes, crassi, & valde consistentes generentur. Sequuntur enim sanguinis naturam omnes ex eo secernendi humores. Hinc videmus teneram puellam ad quemvis strepitum totam cohorrescere, cum callosum aliquem rusticum ne dum orbis ruina pavidum feriret. Conf. *Ill. v. Swiet. Comm. T. II. p. 196.* Praeterea, ideas rerum in sensorio communi perseverare putamus cum *Ill. Hallero Pr. I. Physiol. §. 545.* quatenus motus huic vel illi nervo impressus diutissime in eo perdurat.

His principiis positis, plurima Melancholiae phaenomena ipsam Mentem concernentia resolvi haud obscure poterunt. Ex. gr. *Memoria facilis & debilis; Judicium magis acre quam firmum*, a specie humoris atrabilarii accrescente §. v. N. I. 17. ex eo pendere videtur, quod nervoso genere in hoc statu valde mobili & sensibili existente, faciles & vividae admodum fiant repraesentationes: quod in pueris & puellis etiam teneriora adhuc habentibus corpora manifestum est. Hinc illa *memoriae facilitas*. Et quum clare perceptas ideas facile & cito combinare queant, *Judicii* quoque *acumine* egregie pollent. Sed ob laxitatem fibrarum nervearum motu sp. animalibus semel impresso cito emoriente, non potest non

memoria debilis & iudicium infirmum evadere. Ex nervorum laxitate & sensilitate sp. nerveorum nimia agilitate, (forte & aliquali acrimonia) atque natis ex his causis spasmodicis convulsionibus derivari pulcre possunt, *inordinati* quoque illi *animi affectus*. n. 16. Accedit, quod & Mens ex tot molestiarum consideratione plena taedio, aut anxia aliqua cogitatione detenta §. xiv. vix valet amplius in suis affectibus regundis modum servare. E contrario: quod in specie atrab. succi alcaliscente, *Memoria difficilis quidem sed firma; iudicium tardum sed simul grave & profundum* observetur. §. v. N. II. 9. Fibrarum nervearum rigiditas, callositas, & sp. animalium crassities majorve consistentia videtur esse in causa. Talibus enim nervis difficulter potest ad vividam repraesentationem sufficiens mutatio imprimi, sed motus semel impressus diutius in his perdurat, & sic sufficiens tempus conceditur animae ad suas ideas vario modo componendas, resolvendas, &c. Hinc repetenda illa *profunda meditatio, ingens vis imaginationis. &c.* n. 10. quae omnia pulcre expressa leges apud *Horatium de Art. Poetic. v. 169. & seq.*

§. XXXIX. Paulo difficilior quaellio est: Quare adeo *diu & pertinaciter inhaereat Mens uni cogitationi*? Sed ejus quoque phaenomeni ratio ex hac nostra hypothese explicari potest. Nimirum, fit id inde, quia initia nervorum, quorum ideae nunc pereunt vel admodum obscurantur, a crassis & viscidis humoribus obstructa sunt, aut ipse tubulus nerveus a turgidis, callosis venis compressus est: & sic motus spirituum animalium per eum ad sensorium commune impeditur. Certe a sola encephali compressione delirium oriri vulgare est. Observatum etiam est fatuos a nativitate semper fere capitis vitiatam figuram habere, unde cerebrum comprimebatur: quorum ratio non nisi ex dicto certorum nervorum statu intelligi potest. Accedit ad haec, quod illi homines etiam antequam melancholice delirare ceperint, de ea re circa quam nunc delirant anxie & continuo cogitare solebant. Unde factum est, ut in quibusdam nervis vel non, vel admodum raro exercentur sp. animales; & sic vel aliorum deriventur, vel continuo majorem acquirentes con-

sistentiam, difficulter tandem, facta licet organi percussione, moveri, vel in desertas coarctatasve fibras determinari queant. Unde & ideas illis fibris alligatas obscurari vel omnino perire necesse est. In aliis vero, circa quorum ideas Mens indefinenter occupabatur, ex continuo motu & ipsi spiritus magis attenuantur, & viae eorum per suos canales expeditiores redduntur. Nunc Mens per essentiam actiosa, iis mutationibus debet attendere quae fiunt in sensorio communi, aut certe quae aliis praecellunt. Uti enim lux major obscurat minorem, ita validior repraesentatio debiliorem. Horret vero natura tenebras. Atqui illi in certis tantum fibris nunc contingunt. Ergo neque poterit Mens alias volvere ideas quam illis mutationibus associatas. Aut quum in reliquis fibris motus obscuri & cito evanescentes sint, ad priores utpote magis vividas & perdurantes revertatur oportet. Quod, uti §. i. dictum, est *melancholice delirare.*

§. XL. *Sine furore est hoc delirium.* Quia omnis furor supponit encephali aut alius alicujus partis cum cerebro actum consensum habentis inflammationem; vel subtilem aliquam acrem materiem vascula encephali rodentem, irritantem. Quae in Melancholia non obtinent §. xx. Adest quidem saepe numero acrimonia in succo atrabilario, sed adeo sepulta jacet in glutinoso ejus oleo ut laedere nequeat. Quando vero colliquato illo oleo turgens atra bilis ad cerebrum penetrat, tunc etiam *furor* haud raro supervenit. Sed eo tum Melancholia in Maniam degenerat.

§. XLI. Ad haec notari etiam meretur. Quod & sine praegresso in corpore vitio, per nudam anxiarum cogitationum seriem, in affectiones melancholicas praecipitare se ipsam anima possit: uti remedia illa moralia, quae unice perverfas Mentis phantasias corrigendo hoc Mali genus saepius feliciter discusserunt, id evincunt. Verum fatendum, quod vix aliquamdiu sic affici possit Mens quin & corpus in consensum rapiatur, prout ex antecedentibus patuit.

Sed haec de symptomatibus quoque Melancholiae dixisse suffi-

sufficiat. Restant nunc non nulla de *Prognosi & Curatione* Mali adjicienda. Pluribus enim de his agere, dissertationis nostrae paulo, praeter spem, ulterius protensa tela quam in initio constitueramus, non finit.

§. XLII. Ad Prognosin Morbi Melancholici quod attinet. Morbus certe hic inter maxime chronicos militat, & saepe vim praestantissimorum quoque remediorum eludit: adeo ut, monente *Riverio*, Humor Melancholicus *flagellum, crux, opprobrium* Medicorum non sine merito appelletur. In initio tamen non multum periculi minatur. Imo veteres non nihil melancholici in humoribus laudabant. Vid. *Galen. de Atrab. c. v.* Et revera frequenter licet veteranus hospes jam fuerit adesse vix cognoscitur: aut certe ad medicinam quaerendam non compellit aegros. At postquam consummatum statum adeptus fuerit, ut ex enumeratis pessimis symptomatibus constat, multo magis metuendus evadit. Siquidem diffusus in toto corpore, praeter dicta, quartanas pertinaces, glandularum obstructions, scirrhos, cancos &c. acris vero redidit pessimum scorbutum inducere aptus erit. Quodsi autem, ut omnium saepissime contingit, in viscera abdominalia deponatur, ibidem stagnat, accumulatur, inspissatur, & ex sola harum partium obstructione millenos generabit Morbos. Maxime si per stagnationem, motum & calorem viscerum ambientium, colliquefcente hac saburra, acrimonia, ante sepulta, evolvatur, horrendam plane concitat stragem in universo corpore. Enimvero, ut ipsis Magni *Boerhavi* verbis rem referam. „Viscera quibus continebatur, „Ventriculum scilicet, Pancreas, Omentum, Mesenterium, „Intestina, Lienem, Hepar &c. excoriat, erodit, destruit, „in gangraenam, sphacelum, tabum convertit. Vel, soluta, „mora & reliquis humoribus circulantibus affusa, si „quidem ex *acido* serum & sanguinem coagulante participat, polypos cordis, pulmonis, aortae, carotidum, & „alia horum mala creat. Ad cerebrum vero delata, apoplexiam, „paralytin, catalepsin, epilepsiam, deliria, maniam „pessimi generis, & fere immedicabiles producit. In

„ genere arterioso omnia mutat, febres immanes brevi
 „ omnia putrefacientes profert. Si vero *alkali* putrefacien-
 „ te infecta fuerit, gangraenas subito lethales, ubicunque
 „ impegerit ibi nasci facit. Unde infiniti Morbi in toto
 „ corpore, & in qualibet ejus parte non curabiles nisi hoc
 „ fomite extincto &c. *Aph* §. 1104. & 1109.

Contingit equidem non nunquam, ut solutae ejusmodi
 atrae bilis magna copia per varias vias e Corpore extermin-
 netur. Quod omnium frequentissime & tutissime fit per al-
 vum; quandoque etiam per vomitum sed majoribus turbis
 peragitur; interdum per haemorrhoidum aut uteri fluxum
 perficitur. Quae omnia plus spei accendunt si diversis vici-
 bus parcius, quam si semel majori mensura superveniant.
 Omnis enim subitanea evacuatio periculosa. Vidit *Schmidius*
 in homine Malo hypochondriaco graviter laborante per
 plures dies urinam nigram instar atramenti emissam insigni-
 cum levamine. Sudorem caeruleum in dextro hypochondrio
 hominis melancholici observavit *Dolaeus* citante *Ill. v. Swiet.*
Comm. T. III. p. 492. Hi tamen sunt ex casibus rarioribus.
 Dantur etiam exempla levatae Melancholiae per foedam
 scabiem, quale se vidisse meminit *Ill. v. Swietenius Comm. T.*
III. p. 508. Fatendum tamen quod omnes hae evacuationes
 tunc solum prodesse queant, dum viscera adhuc manserunt
 integra, & excretae materiae regeneratio per idonea reme-
 dia impediri potest. Ceterum nequidem ipsa Salus si velit
 servare poterit hominem.

Liquet ex his, quod levissima affectio Melancholica,
 quae in initio sine multo molimine sola convenienti diacta
 corrigi poterat, si sibi relinquatur, quam multorum vel
 auditu horrendorum Malorum tandemque teterrimae & mi-
 serae mortis causa evadat. Hic profecto si ullibi verum est
 illud Poëtae.

*Principiis obsta. Sero medicina paratur,
 Dum mala per longas invaluere moras.*

§. XLII. Videndum igitur superest, quid in hoc Morbi genere agendum sit, ne statim data tristissima prognosis complementum sortiri queat. Ex antecedentibus constitit, in Melancholia Mentem cum Corpore laborare; & quidem laborare ita ut nunc haec nunc illa pars primario afficiatur, moxque tandem altera alteram afficiat. Prima ergo indicatio postulat ut parti prius affectae praeprimis succurratur. Sublata enim causa facilius tolletur effectus.

Ut ergo a Corpore, utpote cujus naturam & affectiones distinctius novimus, *Curam* ordiamur. Pro duplici atrabilarii succi genio, origine, & oppositis saepe causis, medicinam quoque diversam adhibendam esse: item, aliter tractandam esse incipientem, adultam, & protractam Melancholiam: aliter iterum materiem ejus per universum corpus diffusam, aliter in visceribus hypochondriacis accumulata, inspissata, ad rem serio attendenti manifestum est.

Quum Morbus hic in genere semper diuturnam postulet curam; eo quidem diuturnam magis quo altiores jam egerit radices: expertissimi Medici multo meliores & pulciores effectus praestolantur in sanando hoc Malo a convenienti Diaeta, id est, causis succum melancholicum hujus vel illius speciei generantibus, e diametro opposita, quam a superstitioso pharmacorum usu. Profecto, illa humorum cruditas & oleoso-terrea spissitudo citam alterationem vel e corpore expulsionem non admittit. Sed longa medicamentorum redemptio aegrum facultatibus emungit: quod, si aliter optatum finem consequi queas, praecavere religio postulat. Accedit quod a pertinaci pharmacorum ingestione tandem nauseantes aegri nihil, vel certe modicum solatii percipiunt.

Verum, cum multi nisi pharmaceuticis remediis tractentur se neglectos putent; alios vero officii aut aliarum circumstantiarum ratio diaetam anti-melancholicam exactius observare prohibeat; simulque diaeta multo pulciores effectus promittat si aliis efficacibus remediis adjuvetur: medicamen-
tis

tis quoque conditione aegri & morbi accommodatis tali in casu succurrendum est.

§. XLIV. In *acida* quidem specie *humoris atrab* ubi ex laxitate & debilitate viscerum genitae sordes acres nauseas, tormina, flatus, spasmos &c. concitando Mali causa erant tales poterimus formare indicationes. 1. Primae viae lenissimis evacuantibus expurgentur, roborentur, ut eo chyli-
ficationis opus reformetur. 2. Per vasa diffusus crudus, spissus & glutinosus sanguis incidatur, attenuetur & delitescens in eo acrimonia extingatur. 3. Univerfum vasorum & nervorum systema roboretur, ut inposterum novis humoribus ex meliori chylo parandis, depravatis autem attenuandis & e suo penu eliminandis magis idonea reddatur. 4. Si vero cruor ille atrabilarius in visceribus hypochondriacis impactus jam haeserit, inde sensim resolvendo, diluendo eliquetur. 5. Quodsi vero Bilis atra turgere ceperit, quoniam vix ulla tunc superest spes fore, ut depravata illa materies sanitatis legibus subjici possit, omni studio annitendum ut antequam viscera destruat e corpore educatur, aut si id fieri nequeat, saltem ejus acrimonia mitigetur, ne nimis faeviat.

§. XLV. Expurgantur primae viae blandiori & repetita *Emesi* atque *Catharsi*. Fortiora enim in hoc statu locum habere nequeunt: quia validiorem commotionem debile & nimium mobile nervosum atque vasculosum systema ferre sine periculo non poterit. Si §. v. N. I. 1-7. enumerata symptomata urgeant; neque multa adsint adhuc signa obstructionum visceralium (obstructis enim visceribus major illa concussio quae vel in lenissimo vomitu contingit metum semper facit ne materia obstruens validius adacta irresolubiliter obstruat aut rumpat vasa) vomitoria propinari possunt ex Ipecacuanana in pulv. a ℥j ad ℥ij in inf. a ℥j ad ℥iv. vel Pro emetic. a gr. ii. ad iv. Quibus tamen, si aeger simul plethoricus fuerit V. S. praemittenda.

Tutior longe in omni casu est *Purgantium* usus: leniorum tamen, quia validiora multum aquei humoris educunt, &
spis-

Spissum etiamnum sanguinem magis adhuc inspissant. Apprime igitur hic conveniunt: Rheum in pulv. a \mathcal{D} j ad \mathcal{Z} j in inf. a \mathcal{Z} j ad \mathcal{Z} ij. Fol. fennae in inf. & decoct. a \mathcal{Z} ij ad \mathcal{Z} j. Manna calabr. ab $\mathcal{Z}\beta$ ad \mathcal{Z} ij. Pulpa Tamarind. in bolo ab $\mathcal{Z}\beta$ ad \mathcal{Z} ij. Passulae laxativae, rhabarbarinae a \mathcal{Z} ij ad \mathcal{Z} j. Syrup. de cichor. cum rhabarb. ab $\mathcal{Z}\beta$ ab \mathcal{Z} ij. & similia.

His ad acrimoniam in plieis ventriculi & intestinorum copiose delitescentem extinguentiam addi, aut horum usui interferri possunt Pulveres acidum absorbentes ex Lapid. canror., Conchis fluv., Perlis aut Matribus earum pptis a $\mathcal{D}\beta$ ad $\mathcal{Z}\beta$. vel Magnesia alb. a \mathcal{D} j ad \mathcal{Z} ij &c. Sive, ut una fidelia tres parietes dealbemus, scilicet, & acrimoniam extinguamus, & visciditatem incidamus, idque non tantum in primis viis, sed etiam in ipsis vasis, quo dicti pulveres non possunt penetrare; simulque ipsas viscerum obstructions referemus, exhibendi sunt *sales* aliqui *medii*. ex gr. \ominus digestiv. sylv., \ominus polycrest., Arcan. dupl., \square \ominus -lat. vel \square risat. Terra foliat. \square ri, aut liquor ejusdem a $\mathcal{D}\beta$ ad \mathcal{Z} j. priores aqua aut sero lactis soluti, & jejuno ventriculo e-poti, subjuncto moderato corporis exercitio.

Ad spasmos vero antea quoque quam causam eorum, nempe acidum irritans sustuleris, compescendos, blandam aliquam Emulsionem ex gr. Amygd. dulc. aut oleum earum, vel olivar. express. epotare juvat. si nec dum sileant. syrup. papav. alb. aut aliqua species opiata, ubi imprimis laudat *Sydenhamus* Theriacam Andromachi, quia simul & roborat, egregiam ferent opem.

Quod si vero, ut fere semper fieri assolet, alvus nimium segnis fuerit & foeces induratae, Purgantibus praemitti debent Clysmata emollientia & leniter stimulantia ex Aqua tepida in qua tantillum salis comm. aut amari cathartici prius solutum est; vel ex sero lactis tepido; aut & Decocto Avenae, Hordei decort. cum flor. chamom., summit. millefol. adjiciendo aliquid ex ol. amygd. dulc. vel lini. Quae clysmata quo diutius possunt retinenda; ut sitientissimae venae bibulae in cavum intestinorum patulae ex iis inebriari,

atque sic haerens in iis spissa & foeculenta faburra ab aqueo hoc liquore immediate attracta tanto felicius solvi, dilui & in fluorem redigi queant.

§. XLVI. Sed nisi debite roborentur & accuratiori digestionem adaptentur viscera chylopoetica, expurges licet iteratis vicibus dictas sordes, brevi tamen regenerabuntur. Nihil equidem melius & pulcrius roborat tam haec ipsa viscera quam reliqua corporis vasa ac parca diaeta; moderatus vini generosioris usus; exercitatio corporis frequens; vectio- nes equo, curru &c; frictiones cum puris siccis, aut fumo corporum aromaticorum inbutis pannis: abstinentia a curis, meditationibus, imprimis lucubrationibus. At cum multos haec exactius observare vitae aut aliarum circumstantiarum ratio arceat; illis optime conducit, si mane in lecto forbillent infusa theaeformia ex vegetabilibus aromaticis ex. gr. Herb. Meliss., Veronic., Agrimon., Scordii, Card. bened., summit. Millefol., Flor. Bellid., chamom. vulg., sem. Foenic., Anisi stell. &c. In tali infuso commode etiam possunt solvi & adsumi statim memorati *sales medii*. Ipsa denique fercula debent esse sicciora, aromatibus moderate condita, antacida: Potus probe fermentati, oleoso-spirituosi; aut ex Aqua pura frigida. Post pastum autem sumant Elixir viscer. balsam. Hoffm., vel liquorem anodyn. miner. ejusdem, spirit. nitri dulc., Elixir propr. Paracelsi. ad gtt. xxx. vel. xl. Aut deglutiant Pilulas aliquot balsamicas ex. gr. Cratonis, aleophang., marocost. Tartarifat. Schröderi &c. At si viscera prius rite fuerint repurgata; omnes status & spasmi cessaverint; sanguinisque copia sufficienter fuerit imminuta, nihil pulcrius roborat, ac lenia stialia. ut, Ra stis, Ra stis cydoniat., vel MRa ex spir. C. C. & Ra Pri, vel etiam, Croc. stis, vel ipsa Limat. stis subtiliss., a gr. v. ad viii. aut cum Elaeosaccharis cinnamom., caryophyll. &c. ad ℥β. aut Extract. amarum, mane & circa vesperam exhibita. Prae omnibus vero his laudantur Aquae medicatae sales. Quae, monente *Cel. Hoffm.* ab iis quibus corpus debile & systema nervosum valde mobile est.

est, prius tepesfactae, aut ex ipsis thermis haustae, tutius usurpantur quam frigidae.

His remediis aliquamdiu insistendo & 2^{dae} & 3^{iae} saepe & 4^{tae} indicationi satisfacimus. Nisi quod praeter haec, ad 2^{dam} & 4^{tam} egregie faciunt Pulveres & infusa Herbarum & Radicum incidentium, attenuantium. ex gr. Rad. Irid. Florent., Cichorii, Cariophyllat., Tarax., Pimpinell. alb., Vincetox., Apii, Ari, &c. Herb. Fumar., Scolopendr., Linguae Cerv., Hepatic., Capill. vener., Adianthi, &c. Et quasi specifica suo merito extollantur, Bilis recens exsiccata Animalium sanorum in pilulis, Sapo venetus in pilulas redactus vel aqua solutus, Starkejanus, imo & vulgaris si sine nausea adsumi possit. Sal enim alcalinus in oleis horum, ne sua acrimonia laedat, invisatus, non tantum potentissime resolvit & detergit quamcunque oleosam & mucosam glutinositatem, sed & mira plane naturae lege, concurrens cum acidis, facit ut ambo haec, acria & naturae infensissima corpora, illico concrevant & mutantur in blandum, naturae amicissimum & salutarem salem medium. In 5^{ta} indicatione quid facto opus sit infra dispiciemus, ubi prius non nulla de *Bilis atrae alcaliscentis* nec dum tamen turgentis cura, adnotaverimus.

§. XLVII. Ea quae de *alcaliscente* hac *atrae bilis* specie §. v. N. II. §. vi. N. II. §. xviii--xxi. & xxxi. xxxii. differuimus, indicant. 1. Ut nimium solidorum robur & rigor sensim imminuatur, & vasa minora obstructa cumque viscido sero concreta iterum aperiantur. 2. Deficiens in hac inspissata saburra aqua restituatur. Quam ut admittat, 3. oleosa ejus glutinositas incidatur; quo sic, accumulatus ante in majoribus vasis cruor, per minora quoque liberius meare possit. 4. Alcaliscentis ejus acrimonia extinguitur. De reliquo, eo modo tractanda, ut de acida ejus specie §. xliv. indicatione 4^{ta} & 5^{ta} diximus.

§. XLVIII. Primae indicationi satisfacit *extrinsecus* Aër humidus tepescens. (valde enim calidus putrefacit humores). Hinc est quod tempore verno, dum talis est aëris tempe-

ries, facilius curetur hic morbus, quemadmodum & omnes fere chronici. Potest & arte in cubili talis temperies conciliari aëri evaporationibus aquae calidae e vasis hic & ibi positis. Ceterum, nihil hic plus conducit quam *Balnea tepida humectantia*, sive illa, ut vocant, humida sive vaporosa fuerint, sive ex aqua simplici, sive, ne remedii simplicitas contemptum pariat, ex decocto Herbarum emollientium, ut Herb. chamomill. vulg, Flor. sambuci, meliloti, lilior. alb., malvae, omnibus althaeae partibus, fursurum tritici &c. parentur: imprimis, si in ipso balneo corpus ubique blande perfricetur. Sic enim & callosa vasa cutanea emollita facilius referantur; & venae bibulae ubique in superficie corporis naturaliter patulae, vapores humidos absorbendo, crassioribus fluidis vehiculum aqueum copiosius subministrabunt, ut 2^{da} indicatio postulabat. Sed, ut ibidem dictum, sive per has vias, sive per potum, qui hic largissimus semper esse debet, ad sanguinem delata aqua oleosae illi saburrae admisceri queat, supra laudatis *salibus mediis*, aut, qui forte ob vim ant-alcalicam magis adhuc hic conveniunt, *essentialibus vegetabilium acidis* ex gr. Sale essent. Acetosell, Cremore vel Crystalis \square ri &c. visciditas ejus sollicitè incidatur.

§. XLIX. Sed nihil in natura repertum est quod omnibus recensitis indicationibus adeo exactè satisfaceret ac *Succi saponacei vegetabilium acescentium*. Siquidem in illis principium aqueum pulcherrime diluit & relaxat; *sal acidus* incidit, aperit, detergit, acrimoniam alcalicam extinguit, & leni stimulo, attenuatam saburram e corpore expelli facit; *oleum* emollit, temperat &c. Facem in horum classe ferunt ipsi *Fructus horaei acido dulces bene maturi*, jejuno ventriculo cum pane adsumti, superpota, non ut noxius plurimorum mos fert, liquore aliquo fermentato spirituoso, sed, si opus sit, aqua. Et revera Optimus Creator specificè contra hunc morbum videtur miseris mortalibus prospexisse, dum aestivis temporibus & in fervidissimis regionibus, ubi inprimis hic Morbus dominatur, ingens copia ejusmodi fructuum gratissimo suo sapore, odore, colore commenda-

re se non desinit. De excellentissimo fructuum horaceorum usu & miris effectibus in provectissima quoque melancholia videantur *Ill. v. Swietenii Comm. T. III. p. 480.* Ut vero flatus, quos hic multi sine ratione adeo metuunt, praecaveantur, possunt poma, pyra &c. cocta usurpari: vel succi expressi talium fructuum inantecessum decoqui; aut in syrupum, saponam, rob, gelatinam &c. praeparari: idque vel per se, vel cum saccharo aut melle, quorum etiam virtus, ob efficacem vim saponaceam, heic magna est; adeo ut veteres ipsum Mel & paratum ex eo Hydromel, Mulsam, Oxymel &c. in affectione Melancholica singulariter commendaverint.

Egregiae denique ad hos usus sunt *Herbae amarae lactescentes*, Lactuca, Endivia, Taraxacum, Cichoreum, Spinachia, Tragopogon, Sonchus &c. quorum succus omnia fere cognita remedia vi solvente, diluente & securissimo usu superat. Valde etiam laudantur, serum lactis, imprimis graminei; Aquae minerales; Decocta, cremores, ptyssanae Hordei, Avenae, Oryzae &c. largius & diutissime usurpata; omnia supra laudata chalybeata, & Herbarum, Radicum aperientium, incidentium pulveres & decocta.

Quod si vero post horum quoque remediorum usum saburra in visceribus defixa maneat: conducit in supra laudatis balneis madefactis pannis abdomen & hypochondria continuo fovere: Vectionibus super equo, curru &c. viscera identidem concutere. Summopere etiam commendat *Cel. Hoffm.* Emplastrum saponatum Barbette extus ad ipsa hypochondria applicandum. „ Et in horum praecedentiumque remediorum usu tamdiu pergendum, donec, ut monet *Magnus Boerhaavius Aph. §. 1101.* pulsus inaequalis debilisque, „ nausea, tenesmus, anxietas, febricula signa dent morae „ materiei: & tum statim leni laxante purgatione, clysmate simili, sero lactis, Aqua minerali similibusve expellenda est. Postquam enim tutiora purgantia innotuerunt, ab *Hippocrate* in hunc usum adeo laudato Helleboro, utpote nimis drastico & vehementi hydragogo Prudentiores abstinent. Morbi longi, teste *Platone in Timaeo*, blandissimi

me tractari expetunt, nec vehementius irritari.

Sed dictum est § XLI. naturam saepe sponte sua evacuationem peccantis hujus materiae per varias vias perficere, aut saltem tentare. Id si observet attentus Medicus, moniti Hippocr Aph. 21. S. 1. probememor, naturam in sua molitione & via convenientibus remediis adjuvet: id est, si per vias urinarias talis evacuatio tentetur, diureticis; si per sudores, sudoriferis; si per vasa uterina, emmenagogis, non tamen calidis stimulantibus, sed dictas vias quam maxime laxantibus &c. suppetias ferre conetur. Quoniam vero tutissime & omnium felicissime absolvitur salutare hoc opus per alvum & vasa haemorrhoidaliam, ut-pote immediate ipsa vasa viscerum affectorum deplentia, saepius injectis enematibus emollientibus, leniter stimulantibus; extrinsecus ad varicosas ut plurimum haemorrhoidales venas similibus emplastris, cataplasmatibus applicatis, antequam aliam viam sibi sumserit expellenda materies, huc allicere conetur.

§. L. Evenit haud raro, ut avari, contumaces, aut sui incuriosi Morbum hunc tamdiu negligant, quo ad *bilis atra jam turgeat*. Tunc quidem, ut §. XLIII. vidimus, aerumnosae vitae mors erit ut plurimum medicina: annitendum tamen ut si Malum tolli nequeat, saltem furens ejus vis mitigetur, & tristis ille exitus, quantum pote, retardetur. Hunc in finem vix aliud remedii genus superest, quam ut saeviens acrimonia blandissimis emulsionibus, decoctis mucilaginosi aliqua ex parte involvatur; aut largiissimis diluentibus, in quibus inhaerenti acrimoniae oppositum sal acidum scilicet vel alcalinum parca copia solutum est temperetur. Acerrimum oleum vitrioli a sola aquae copia mitescit. Ad enormes vero turbas a furente hac acrimonia in universo corpore excitatas utcunque sedandas, judice *Ill. v. Swietenio Comm. T. III. p. 501.* tantillum opii simul exhiberi potest. Quo sic & noxiae miseris his vigiliae aliquatenus compescantur.

§. LI. Diaeta in his affectionibus, ut sponte patet, causis Morbum generantibus contraria requiritur. Simulque par-

ca. Impura enim haec corpora quo magis nutrires eo magis laederes. Hippocr. Aphor. 10, S. II. De ea ergo hic nihil amplius addemus. Digna tamen sunt verba Magni Boerhaavii ut e Prax. Med. ad §. 1103. huc transferantur. *Si Bilis atra sit acida, tum non concederem, inquit, ut vinum, lac vel ullum acefcens gustarent; sed modo jus carniū cum vitello ovorum & piscibus fluviatilibus affatis & coctis, &c. Sic, si alcali praedominaretur, haec ultima prohiberem & prius dicta commendarem. Si rancidum oleofum peccaret, tum nihil darem nisi fructus horaeos: expressos ex endivia, cichoraeo, & similibus herbis papposis & lactescentibus succos. Sed forsā quis rogat: An sic vivere possint? ad hoc respondendum, eos sic debere, aliter semper malum servant, & per totam vitam fatui manent. Eccur etiam sic vivere non possent? Si quidem Primi Homines per tot Secula vegeti & incolumes vivebant, dum ut canit Ovid. Metam. L. 1.*

*Contenti-cibus nullo cogente creatis
Arbuteos foetus montanaeque fraga legebant;
Cornaque, & in duris haerentia mora rubetis,
Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.*

Si Brasiliāni mortalium robustissimi, ante Europaeorum in Americam accessum solis vegetabilibus usi ultra centum annos vitam protraherent; si Brachmanes, Gymnosophistae, Pythagoraei, Anachoretae inter Christianos, mente & corpore sani, vegetabilibus unice pasti diutissime superabant; imo & hodie tota ora maritima Asiae ultra mille miliaria a Balsora ad Gangem usque solis plantis vivere possit, ut videre est in Praelect. III. Halleri ad Inst. Med. Boerb. T. I. p. 116. Si e contrario, plurimi gelidi septentrionis populi, pro cibo carnibus ferarum & piscium recentibus, pro pane autem piscibus exsiccatis, unice usi sani & robusti perseverent: quare non & hi re ita exigente?

Nisi a pertractatorum huc usque remediorum similiumque usu conveniente levamen senserint Melancholici, etsi Anticyras ad *Helleborum* bibendum navigent, etsi decantatorum
adco

adeo specificorum, *Hyperici* nimirum & *Anagallidis flore purpureo* Tincturas aut Decocta, praemisso, ut volunt, semel vomitorio, non ad $\text{z}iv$. ter de die, sed integros congios noctes diesque hauserint, vix ullam evadendi viam invenire illos posse crediderim, si scilicet Mali sedes in corpore haereat.

§. LII. Quod si vero causa proxima Delirii in Mente ipsa lauerit, tum ei cogitationi in qua mens delirat contraria inducenda. Id pro causarum varietate vario etiam modo perficitur. 1. Si ex amore, ambitione, ira, moerore &c. ortum duxerit delirium, *expiendo mentis desideria*. Sic ex amore puellae delirans juvenis ea potitus resipuit. *v. Swiet. Comm. T. III. p. 503.* Verum fatendum, quod hoc remedio uti in potestate medentis rarissime positum est. 2. *Oblivionem conciliando sensum rei crucem figentis*. Habeatur scilicet aeger pro sanissimo, (nihil enim indignius ferre solent hi homines quam si Melancholiae arguantur) tumque continuis amicorum consortiis vel invitus detineatur, per campos, sylvas, fontes, vicos, urbes &c. recreationis ergo circumducatur; ut sic novorum objectorum usurpatione distracta mens non habeat tempus & occasionem recordandi thematis sui delirii. 3. *Assentiendo omnibus eorum deliriis*, quo sic in familiaritatem eorum nos insinuando, pia aliqua fraude eos tandem decipere queamus. Caute tamen hic versandum. Morosi enim hi & saepe docti melancholici non facile patiuntur sibi imponi. Mille licet mala ipsamque mortem quasi statim imminentem anxie timeant; remedia sollicite quaerant; Medicorum tamen consilia, utpote de quorum fide & peritia semper dubitant, non facile admittunt: & simul chimericis, quas habent, Morbi sui imaginibus percussi, omnem de sanitate recuperanda spem saepe abjiciunt, id semper contra communem hominum consuetudinem credere soliti quod maxime metuunt. Huc facit inter alia casus sequens: Persuaserat sibi Pictor insignis omnia sua ossa esse instar cerae mollia: non reluctavit ei *Tulpius*, sed dixit se nosse remedium, quo morbus ille, modo praeceptis suis aeger obtemperaret, intra sex dies certo certius sanaretur: petit aeger auxilium: dat quid pro quo *Tulpius*, & feliciter restituitur aeger

aeger ad dictum diem. 4. *Contrarias opiniones violenter aut ex improvise imprimendo.* ex. gr. Praecipitatione inopina in aquam profundiorē, ut metu suffocationis perterriti, vehementer commoti sp. animales, novas & validas excitando mutationes in sensorio communi veteres ideas confundant aut obscurant. Allegat *Celeb. Boerhaavius* Empyricum, qui simili methodo plurimos Melancholicorum sanare consueverat. Si delirabant, instar ferarum verberibus, catenis, aqua frigida, fame, siti &c. tractabat eos: dum ad se redibant, omnimode adblandiebatur illis. Elegans etiam adfert exemplum *Ill. v. Swieten. Comm. T. III. p. 514.* Erat nimirum vir doctus ex studiis immodicis eo delapsus, ut crederet suas tibiās esse vitreas: ad focum deductus sedebat; ligna tunc pro foco alendo adportans Ancilla, projecit ea cum impetu in terram: Herus tibiīs metuens, increpuit eam; tum morosa & delirii sui Heri jam pertoesa Ancilla arrepto ligno vehementer percussit crus Heri: qui in vindictam prosiiliens, ubi ira mox defervescente observaret sua crura minime esse fracta, convaluit. Sed haec in gratiam praesentis Exercitationis differuisse

SUFFICIAT.



T H E S E S.

I.

Nutritio in Majoribus quoque vasis quin perficiatur nihil est quod impediatur.

II.

Plures quidem & obscuræ ceterum originis actiones machinæ animalis possunt & debent ex irritabilitate deduci: omnes tamen & sine discrimine ex eodem fonte derivari posse non videntur.

III.

Varie licet acrimoniæ species suboriantur p. n. in nostris humoribus; nulla tamen earum s. n. in iis deprehenditur.

IV.

Dum totum Corpus Vasculosum dicimus, eo parenchymatum, pinguedinum, lamellarum ossæarum & simplicium membranarum naturalem soliditatem haud negamus.

V.

Agunt revera astra (puta Sol & Luna) in omnes res sublunares, consequenter & corpora animantium.

VI.

In proveciori Melancholia V. S. rarissime, si unquam, convenit.

NOBILI ac GENEROSO

IUVENI

STEPHANO MATYUS,

In Arte Medica

Specimen sui Profectus exhibenti.

Prisca Melancholiae pridem jam senserat aetas,
Naturam, Curam, pandere posse gravem.
Hanc fuit illa COI quondam meditata Senectus.
Hanc in Rem doctus multa GALENUS habet.
Pluribus Hanc scriptis feri docuere Magistri,
Quod passim monstrant tot monumenta fatis.
Hanc Tua, cum primis, solers industria, tandem
Detexit totam, conspicuamque dedit.
Quippe prius, torvi quid sit descriptio Morbi,
Rara Judicii dexteritate doces.
Inde Malum a cunctis aliis discernis acutè:
Ut possit Lector figere rite pedem.
Pergis & occultas doctè referare latebras,
Ex quibus in solidum profluat Atra Bilis.
Tum perplexa doces planis Symptomata verbis,
Prognosisque Tuis exprimis Auguriis.

Atque dein fidam fatagis narrare Medelam:
Quo sic Lectori gratius esset opus.
Hae sunt, ingenii, quo polles, prorsus acuti,
Primitiae suaves; quæis satur aeger erit.
Suscipiet cupidè tantos mox Dacia foetus,
Laudibus & dignis tollet ad astra Poli.
Gloria TE vivum certè comitabitur ingens:
Post cineres autem fama superstes erit.

*In perpetuam Amicitiae
tesseram gratulabundus
apposuit*

MICHAEL BENKÖ,

BCU Cluj / Central University. *S. S. Theol. Stud.*

